This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lv
10
244

Harvard College Library

From the
CONSTANTIUS FUND
Bequeathed by
Evangelinus Apostolides Sophocles
Tutor and Professor of Greek
1842–1883

For Greek, Latin, and Arabic
Literature

L.45

QUAESTIONES DE FABULIS A VERGILIO IN AENEIDE TRACTATIS.

QUAESTIONES

DE

FABULIS A VERGILIO IN AENEIDE TRACTATIS.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

J. P. N. LAND, TH. DRIS.,

IN FACULTATE LITERARUM ET PHILOSOPHIAE PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN LITERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

Carolus Henricus Kindermann,

EX OPPIDO EDAM.

DIE XXV M. SEPTEMBRIS A. MDCCCLXXXV, HORA III.

LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD S. C. VAN DOESBURGH.

MDCCCLXXXV.

Lw 19.244

HARVARD COLLEGE
OCT 1 1895
LIBRARY.
Constantius fund.

LUGD.-BAT., TYP. L. VAN NIFTERIK HZ.

UXORI CARAE.

INDEX.

	Pag.
PRAEFATIO.	1
I. Fabula de Aenea	10
II. Fabula de Aenea in Latio sedem quaerente.	52
III. Aeneas et Evander.	67
IV. Turnus	82
V. Tyrrhus	89
VI. Mezentius	90
VII. Aventinus.	95
VIII. Tiburtus, Coras, Catillus	95
IX. Caeculus	97
X. Messapus	101
XI. Clausus	102
XII. Halaesus.	104
XIII. Oebalus	105
XIV. Ufens	106
XV. Umbro	107
XVI. Virbius	108
XVII. Mensae consumtae	113
XVIII. Sus cum triginta porculis.	118
THESES	127

PRAEFATIO.

Inter plura dissertationis argumenta a promotore v. cl. proposita inquisitio in modum quo Vergilius in Aeneïde fabulas domesticas tractaverit mihi plurimum arridebat.

Opus autem agressus sum difficultatum hujus laboris ignarus et profiteor me non solum non propositum perfecisse, non enim omnes sed nonnullas fabulas tractavi, sed metuere etiam ne graviores fontes praetermiserim neve vitiosa testimoniorum aestimatio me in meros errores induxerit. Quem metum magna ex parte discrimina augent, quae sunt inter meas et virorum doctorum sententias, quae tamen rursus quaerendi indagandique amorem stimulaverunt. Numquam tamen novarum rerum cupiditate perductus discrimina investigavi, quae tironis animum gravius premunt quam ut ei placere possint, quum praeterea mihi nefas esset oblivisci me fere omnia, quae mihi fontes fundamentaque fuerunt ex virorum plerumque mortuorum libris hausisse eosque igitur mihi studiorum duces fuisse.

Discriminum causae maxima ex parte e rationis dissi-

militudine ortae mihi videntur. Quum enim illi Romanorum vel res actas vel mythologiam describentes totas fabulas sicut aliquando circumferrentur narraverint, minus tempus curaverunt quam me decebat cui fabularum formae, quas Vergilius invenerat, investigandae erant ut in his quid aut servaverit aut mutaverit constituerem. Quod igitur iis plus minusve praetermittere licebat mihi saepe quaestionis cardo erat, quam ob causam accuratius inspicienti nonnulla memorabilia occurrerunt. Quum illis Vergilius et aequales posterioresque scriptores fontes essent e quibus iis depromere liceret quae ad fabularum descriptionem pertineant, mihi Vergilii narrationes fines erant, quos nonnunquam sum egressus ut ostenderem quid posteriores scriptores commentatoresque ad sententias hujus aevi virorum contulerint, quae tamen tanquam summum inquisitionis mihi semper ante oculos fuerunt.

Sic quaerens quid Vergilius invenerit, quid mutaverit, quid revera finxerit vel nobis finxisse videatur, quia desunt qui ei fontes fuerant, forte fortuna ductus indagavi quae eos nonnunquam fugerant. Sic ratio ipsa mihi videndi occasionem praebuit quae fabulae florentissimis reipublicae temporibus jam excultae essent et quae vel a Vergilio, vel ab aequalibus posterioribusque inductae in vulgus emanaverint. Sic accuratius fabularum incrementa et additamenta perspexi et quatenus Caesarum aetati attribuenda essent vidi. Observationes hae non parvi faciendae sunt. Nam nunc patet quot cultus fabulasque, a scriptoribus hujus aevi sine ullo temporis indicio commemorata, nos florente populo Romano frustra quaesituri simus. Nondum cultum Aeneae neque Evandri, nec Danaën, in arca maris fluctibus jactatam, ad Italiam appulsam, Ardeaeque conditorem, neque Virbium

Ariciae in Dianae luco neque Ariciam Nympham, Hippolyti Virbii uxorem inveniemus, quibus omnibus haec recentioribus temporibus sunt afficta.

Eadem temporum incuria cum studio prisca Latii Romaeque tempora cognoscendi conjuncta nonnullos hujus aevi viros in eum errorem induxisse mihi videtur ut hos vel partim vel plane fictos homines illis temporibus attribuerent, quae ut nobis sic scriptoribus Romanis quoque incognita erant. Quo amore relicto, aequo animo cogitantibus satius erat de modo quo Romani varii temporis antiquitatem depinxerint disputare quam de rebus hac aetate actis.

Alia discriminum causa in fontium aestimatione sita est. Non modo Tabulae Iliacae non tanta vis mihi attribuenda videtur neque Lycophronis Alexandram non ante bellum cum Antiocho III totamque e Timaeo depromptam existimo, quae suo loco exponam, sed ne iis quidem qui contendunt omnes scriptores nihil nisi jam vulgatas publiceque receptas fabulas commemorasse, consentire possum. Haec sententia, quamquam perraro aperta, sed fere ubique argumentationis fundamentum facta, mihi multorum errorum fons fuisse videtur. Non nego multas fabulas originem ex remotissimis temporibus ducere itaque multas a scriptoribus, vel ex ore vulgi, vel e sacordotum vel familiarum tabulariis depromptas et repetitas esse, sed illam originem haud omnibus tribuendam esse censeo.

Disputari sane potest de aliqua narratione utrum rebus actis annon inserenda sit, etiam de narrationis parte sitne rebus actis, an arti fingendi potius assignanda, at narrationem nisi ex aliqua parte hac ex arte originem ducit fabulam non vocamus. Ubi de harum origine agitur, aliis aliam assignan-

dam esse concedimus sed omnibus hoc commune est ut aliquando vel ex rebus actis hominum fingendi facultate ornatis vel ex hac sola natae sint. Sive res quae cerni et videri non possunt ante oculos proponunt, sive res tenebris involutas perspicuas reddere conantur, sive res parvas, ut magnae habeantur, ornant, sive cum rebus vere actis res illae conjunctae sunt sive non, semper aliquid docere et explanare volunt, nisi forte ex mera delectandi cupiditate ortae sunt.

Quo tempore fabula ficta sit, utrum vetus sit an recens, utrum ejus argumento ab hominibus fides habita sit annon neque ad veritatem neque ad auctoritatem quidquam facit, nam hominum facultati, qua res cogitatione fingunt, semper, sive in priscis sive in recentioribus temporibus lusit, idem pretium addicendum est. Quam ob causam nullo modo verbis consentire possum, quae Bamberger in fine commentationis suae (Rhein. Museum VI, pg. 105) „Ueber die Entstehung der Mythus von Aeneas in Latium", scripsit: „Doch ich halte ein um nicht Vorwürfe auf mich zu ziehen, die den unbefugten Sagendenter mit Recht treffen. Aechte Volkssage soll man ehren und unangetastet lassen wo man nichts Besseres an ihre Stelle setzen kann. Wer das verkennt der zieht Göttliches in gemein-menschliches herab. Denn die Sagen gehören unter die θεῖα und δαιμόνια" — nam primum simulac narrationem non veram sed de industria fictam i. e. fabulam scio, ea ipsa suam divinam naturam amisit, deinde non in aliquam rem inquirere possum nisi eam tangendo, tum vero ignorantiam profiteri mihi semper satius videtur quam res fictas vere actas dicere vel in tritarum vicem novas fictas ponere. Nullo denique modo vetustissimis fabulis alia origo quam recentioribus ascribi potest.

Fabulae multae natae sunt quarum aliae vel quia hominum animis non acceptae erant vel alias ob causas perditae sunt, aliae vero aetatem tulerunt, quibus omnibus tamen facultas fingendi origo erat, quae nullo modo antiquissimis hominibus attribuenda recentioribusque abdicanda est. Quas ob causas fontibus recentiorum scriptorum, inprimis poetarum, vis fingendi quoque adnumeranda esse mihi videtur. Inquisitio tamen fontium unde scriptores petiverunt viros doctos tam saepe ad antiquiorum auctorum libros duxit, ut fere omnibus recentioribus omnem fingendi facultatem abjudicent, iisque prorsus nullum inventionis ingenium tribuunt. Idem vitium in Vergilii operis aestimatione quoque offendimus.

Eum multa ex Iliade Odysseaque deprompsisse, etiam transtulisse, multi loci testantur; eum et Trojae eversionem a Pisandro paene ad verbum transscripsisse, ut Macrobius Sat. V : 2, 4 narrat aliosque locos a Naevio Ennioque quos Servius indicat, credere equidem volo, sed quamquam Naevii versus: „blande et docte percontat, Aenea quo pacto Trojam urbem liquisset" ostendunt Aeneam aliquando suum e Troja decessum narrasse, non tamen iis qui ex his verbis arguunt Vergilium totam narrationem apud Didonem ex Naevii carmine hausisse, consentire possum. Etiamsi probare possumus unde poeta multa nomina multasque fabulas petiverit, minine inde sequitur nullum nomen nullamque fabulam ejus fingendi facultati suam originem debuisse. Ubi igitur nomini vel fabulae non antea commemorato occurrimus, haec facultas, ut saepe fit, non praetermittenda mihi videtur. Scio me hanc rationem sequentem errare posse sed qui, ut postea indicabo, rerum actarum narrationes magna licentia mutare ausus est, profecto non a rerum sub

nullius oculos cadentium immutatione, multo minus a fabularum novarum inventione abstinuit. Nam mutatio et antiquiorem auctorem et antiquam doctrinam sequentes laedet, quum nova fiota neminem dolore, multos gaudio afficere possunt. Illae causae discriminum sunt quae praecipue ad fabulas de rebus priscis temporibus in Latio actis, de Aenea, de Evandro spectant, quas solas fusius tractatas inveni, quae tamen ad alias partim commemoratas ab aliis scriptoribus partim neglectas, aeque pertinent.

Quod nequaquam omnes Aeneïdos fabulas tractavi, non mihi legem qua Vergilius domesticas narrationes mutavit constituere licet, sed ne omnibus quidem fabulis tractatis credo certam constantemque legem indicari posse. Nam hoc conanti non solum indicare quid mutaverit sed etiam quid sibi proposuerit poeta necesse est. Quamquam mutationes indicare saepe contingit de poetae proposito, tamen multa conjicere pauca constituere licet, quia quid sibi proposuerit saepe in tenebris jacet; quam ab causam non de mutationum universa lege sed de modis nos loqui decet. Quae de utraque re mihi constituenda videantur breviter exponam.

Si Aeneidos fabulas cum iis quae ab antiquioribus traduntur comparamus, facile patet Vergilium summo studio antiquas fabulas repetivisse, sed easdem magna cum licentia mutasse. Inquirentes enim in varios modos quibus nobis res actae a Latino, Turno, Aeneaque traditae sunt, reperimus Vergilium nullum antiquiorum scriptorum secutum esse, sed fere novam narrationem composuisse. Nomina servat sed hominum personas sortesque nullo modo curat. Summo igitur jure rogamus quanta ejus fides in narrandis moribus, ritibus, ceremoniis aliisque sit, quem tanta licentia res prisci temporis tractare videmus. Profecto non

plurimorum hujus aevi doctorum exemplo eum sine ulla exceptione sequemur ejusque carmen antiquitatum purum limpidumque fontem habebimus. Quae tamen non Vergilii culpa est sed eorum qui ejus opere tamquam antiquitatum fonte usi sunt, quod jam et sequentium scriptorum nonnulli commentatoresque fecerunt, qui, ut Servius, fictas res veras dixerunt, jurantesque in poetae verba populo Romano ceremonias cultusque assignare ausi sunt, quae numquam in usu fuerant. Ille tamen nusquam scriptorem neque rerum actarum neque antiquitatum se professus est; voluit esse fuitque poeta.

Quaerentibus nobis, quid viri docti de Aeneidos argumento existimaverint sententiarum major turba occurrit quam ut has singillatim referre liceat. Sunt qui, ut Dunlop (The history of Roman literature, 1823—28) Aeneïdem allegoriam dicant insignioresque personas praecipue Augusti aequalibus attribuant, quibusque Aeneas Augustus, Dido Cleopatra, Turnus Antonius, Latinus Lepidus, Lavinia Livia, Amata Fulvia etc. esse videantur. Alii, ut l'Abbé Vatry (Discours sur la fable de l'Eneide. Mem. de Litt. XIX: 355, Mémoire sur l'origine de la famille Julia, ibid. XVI: 421) contenderunt poetam assimulasse Aeneam Augusto, alii eum antiquos mores cultusque laudare, alii arcana quaedam Augusti consilia populi Romani animo inculcare voluisse. Alii, ut le Bossu et Spencius, Aeneidem ad res publicas spectare sibi persuasum habent, alii ut G. Boissier (la religion Romaine d'Auguste aux Antonins) carmen inprimis religiosum, alii denique heroicum opinantur.

Sed non credo tantum opus unquam tam continuo tenore peractum esse ut unum horum judiciorum sufficiat, praesertim quum poetam decem annos in carmine suo elabo-

rasse sciamus eumque id membratim composuisse. Inter omnes sententias unam tamen desidero quam in promptu esse nemo negabit. Non miramur multos Vergilii aequales, eosque Augusto non inimicos, non intellexisse quod ante oculos fieri videbant, illam unius viri ad principatum accessionem, illud omnium obsequium. Qui magna cum prudentia regem se vocari non ausus est plus quam regali potentia gradatim potitus est; qui regem nunquam toleravissent multo majoribus muneribus honoribusque illum ornaverunt. Eos, quibus libertas carissima erat, se ipsos in unius viri ditionem redigentes, causam quaerere videmus illius unius viri temeritatis, audaciae, virtutis, qui omnibus defessis, multis ejus potentiae invidis, solus omnia reipublicae munera ei imposita dubitanter sed benevole susciperet. Quomodo principatum tenet, quem petere non ausus est, quomodo habet quod ut ambiret ei nemo concessit? Vergilius illis quaerentibus responsum dedisse mihi videtur quum suum Aeneam pinxit invitum adeuntem maris pericula, invitum relinquentem loca, quibus appulerat, exclamantem Carthagine conspecta: „o, fortunati, quorum jam moenia surgunt," querentem ubi ab Heleno et Andromache discedit: „Vivite felices.... Vobis parta quies, nullum maris aequor arandum Arva neque Ausoniae semper cedentia retro Quaerenda," sed semper hortationibus matris, amicorum, prodigiorum i. e. divinitus excitatum iter ad fatalem terram pergentem. Ut Aeneas, ita Augustus divinitus ad suum fatum adductus est; hoc ipsum quaerentibus respondit. Haec sententia aliis adnumeranda esse mihi videtur, nam, ut dixi, inquirentibus in Vergilii propositum non in uno haerendum est.

Etsi me rerum implicatione huic certarum legum et

conditionum inquisitioni renuntiare coactum esse profiteor, tamen semper eam mutationis causam ostendi quam reperisse mihi visus sum. Utinam ne in his quoque nimis a vero abenaverim.

Diu dubitavi utrum omnes auctorum locos citatos describerem an non; quia autem primum magna eorum pars e libris, qui rarius ad manum sunt, petita est, deinde locorum collectio non nullius momenti est, tum vero cuivis lectori viam ostendere volui qua ad meas conclusiones perveni, omnes describere satius visum est.

I.

Fabula de Aenea.

---

§ 1. *De fontibus.*

Inquirentibus in fabulam de Aenea animus ad Iliadem primum advertendus est, quia ibi prima vestigia fabulae invenimus, quam Vergilius amplissime nobis evolvit. Nos hac in opinione non errare verba poetae demonstrant ad Aen. III, 97. „Hic domus Aeneae cunctis dominatibur oris. Et nati natorum et qui nascentur ab illis", quae parva immutatione excepta ad litteram reddunt: Il. XX, 307: „*νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει Καὶ παίδων παῖδες τοί κεν μετόπισθε γένωνται*" cett.

In Iliade quoque Aeneas Aphrodites et Anchisae filius, Dardani suboles dicitur Il. II, 820; XX, 208. Eum contra Diomeden Aphrodite Il. V, 312 et Apollo Il. V, 445, contra Achillem Neptunus Il. XX, 340 tuentur, eum odit Hera Il. XX, 309.

Sed discrimina non desunt. In Iliade II, 820 Aeneas, in monte Ida natus, dux Dardaniorum, socius Priami est,

socius non tamen amicus. De discordia enim testantur Il. XIII, 460 „*αἰεὶ γὰρ Πριάμῳ ἐπεμήνιε δίῳ, Οὐνεκ' ἄρ' ἔσθλὸν ἐόντα μετ' ἀνδράσιν οὔ τι τίεσκεν*". Il. XX, 178, et verba memorabilia Neptuni 297: „*Ἀλλὰ τί ἦ νῦν οὗτος ἀναίτιος ἄλγεα πάσχει, Μὰψ ἕνεκ' ἀλλοτρίων ἀχέων, κεχαρισμένα δ' αἰεὶ Δῶρα θεοῖσι δίδωσι, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν; Ἀλλ' ἄγεθ' ἥμεῖς πέρ μιν ὑπ' ἐκ θανάτου ἀγάγωμεν, Μή πως καὶ Κρονίδης κεχολώσεται, αἴ κεν Ἀχιλλεὺς Τόνδε κατακτείνῃ· μόριμον δὲ οἱ ἐστ' ἀλέασθαι, ὄφρα μὴ ἄσπερμος γενεὴ καὶ ἄφαντος ὄληται Δαρδάνου, ὃν Κρονίδης περὶ πάντων φίλατο παίδων· .... Ἤδη γὰρ Πριάμου γενεὴν ἤχθηρε Κρονίων· Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίῃ Τρώεσσιν ἀνάξει Καὶ παίδων παῖδες, τοί κεν μετόπισθε γένωνται*" regni transitum in ejusdem generis aliam stirpem indicant, quum Vergilius de hoc regni transitu deque discordiis cum Priamo taceat et audiamus Aeneam. I, 596: „Coram, quem quaeritis, adsum, Troius Aeneas", Didoque: 617 „Tune ille Aeneas, quem Dardanio Anchisae Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam?"

Haec verba *Αἰνείαο βίῃ Τρώεσσιν ἀνάξει*, repetita in Hymno ad Aphroditen 197 „*σοὶ (Ἀγχίσῃ) δ' ἔσται φίλος υἱός, ὅς ἐν Τρώεσσιν ἀνάξει· Καὶ παῖδες παίδεσσι διαμπερὲς ἐκγεγάονται .... Τῷ δὲ καὶ Αἰνείας ὄνομ' ἔσσεται, οὔνεκά μ' αἰνὸν Ἔσχεν ἄχος, ἕνεκα βροτοῦ ἀνέρος ἔμπεσον εὐνῇ*" — ubi quoque primum nomen explicandi conatum legimus, — fabulae cunabula sunt.

Longa fuit via, quam fabula peragravit, antequam *Τρώεσσιν ἀνάξει* transierunt in „cunctis dominabitur oris", nam rectissime annotavit Strabo XIII, pg. 608: „*πολὺ δὲ μᾶλλον τοῖς ἑτέροις (Ὅμηρος) διαφωνεῖ τοῖς μέχρι καὶ Ἰταλίας αὐτοῦ (Αἰνείου) τὴν πλάνην λέγουσι καὶ αὐτόθι ποιοῦσι τὴν καταστροφὴν τοῦ βίου. Τινὲς δὲ γράφουσιν „Αἰνείαο γένος πάντεσσιν ἀνάξει*

καὶ παῖδες παίδων", τοὺς Ρωμαίους λέγοντες" cui interpretationi et Vergilius et Dionysius I, 53 assentiunt.

Pruisquam hujus fabulae vestigia, temporum cursu relicta, indagamus, quomodo illi eam tradiderint inspicere juvat.

DESCRIPTIO AENEAE ITINERIS SECUNDUM

Vergilium.	Dionysium.
II, 796. Troja deleta Aeneas cum Anchisa, Ascanio, diisque penatibus stella ductus Idam petit.	I, 46, 47. Troja capta Aeneas cum patre, diis patriis, uxore, liberis rebusque pretiosissimis munitissima Idae loca occupat. Cum Graecis foedus icit his conditionibus: ut Aeneas ejusque socii intra statutum tempus ex agro Trajano abirent, Graecisque prius castella dederent. Deinde Ascanium, regem ab Dascylitis electum, demittit.
III. 5. Ex Antandro, in regione Troadis meridionali, Ascanio comitante altum petit.	Hellespontum trajecit, Ascanio relicto, cum liberis etc.
III. 13. Appellit ad Thraciam. Urbem condit „Aeneadasque meo nomen de nomine fingo". Ibi matri diisque sacrificat Polydorique sepulcrum invenit. cf. Plin. N.H. IV, 43. Serv. Aen. III, 1. Step. Byz. Αἶνεια, e quibus patet Urbem Aenum ad He-	47. Hellesponto trajecto in proximam paeninsulam navigavit, quae Pallene vocatur, — mendum geographicum perspicuum.—49. Appulit ad Pallenen. Aphroditae templum extruit. Oppidum Aeneam condidit.

Vergilium.	Dionysium.
brum sitam poetam dixisse. cf. Conon Narr. 40.	
73. Ad regem insulae Deli, Anium advenit.	50. idem narratur.
	Ad insulam Cythera pervenit, ibi templum Aphroditae condit; in promontorio Peloponnesi Cinaethum sepeliunt.
121. Ad Cretam appellunt. 209. Ad Strophades tempestate adiguntur, ubi Harpyiae habitant.	
	Ad Zacynthum appellit et Aphroditae templum condit, ibique ludum instituut, q. d. cursus Aeneae et Aphrodites. Ad Leucadem templum Aphroditae Aeneadi condit.
276. Actium petunt. Ludos instituit et clipeum, ornatum his verbis: „Aeneas haec de Danais victoribus arma," ad templi postes affigit.	Actium petunt templumque Aphroditae Aeneadi condit et alterum Magnis Diis.
	Ambraciam pervenit templumque Aphroditae Aeneadi et sacellum Aeneae condit.
293. Buthrotum petunt, ubi Heleno et Andromachae occurrunt. cf. 435. „Unum illud tibi praedicam ... Junonis mag-	51. Anchises cum navibus Buthrotum petit; Aeneas cum militibus Dodonam petunt, ibique Trojanos cum Heleno inveniunt et inde illi quo-

Vergilium.	Dionysium.
nae primum prece numen adora. Junoni cane vota libens, dominamque potentem Supplicibus supera donis."	que Buthrotum proficiscuntur.
	Portum Anchisam (Onchesmum) intrant. Condunt Aphroditae templum.
531. Ad Castrum Minervae perveniunt.	Appellunt Japygium, Minervium, et ad locum non nominatum in sinu Tarentino.
cf. 547. „Junoni Argivae jussos adolemus honores."	
568. Ad Siciliam apud Aetnam appellunt.	
692. Migrant ad insulae aliam partem, ad urbem Drepanum.	52, 53. Ad Siciliam apud Drepanum appellunt. Ibi inveniunt propinquos Elymos et Aegestam Elymamque condunt, ibi aram Aphroditae Aeneadi et templum Aeneae extruunt.
I, 34. Karthaginem petunt.	
V, 35. Ad Siciliam revertunt et ab Aceste benevole accipiuntur, Ludi in Anchisae honorem.	
cf. 62. „Adhibete Penates et patrios epulis et quos colit hospes Acestes."	
cf. 759. „Tum vicina astris Erycino in vertice sedes Fundatur Veneri Idaliae, tumuloque sacerdos Ac lucus late sacer additur Anchiseo."	
(Mors Palinuri gubernatoris).	Palinurum Italiae portum petunt et Leucosiam a consobrina Aenaee et Misenum

Vergilium.	Dionysium.
	a nobili Trojano exstincto, et
VI, 2. Cumas adeunt, cf. 9. „At pius Aeneas arces, quibus altus Apollo praesidet horrendaeque procul secreta Sibyllae, antrum immane petit."	
	Prochytam et Cajetam a mortuis mulieribus nominatas.
VII, 1 et Cajetam. 36. Ad ostia Tiberis appellunt ibique castra (Trojam) ponunt.	
	Ad Laurentum in Italia appellunt ibique castra (Trojam) ponunt.

Ex his facile apparet Vergilium et Dionysium, quamquam non multum aetate disteut, in paucis modo inter se consentire. Uterque de Aeneae adventu ad Delum, ad Actium, Buthrotum, Castrum Minervae, Drepanum et Cajetam nos certiores facit. Sed multa loca a Dionysio commemorata Vergilius praetermittit, contra solus hic Aeneam, Carthagine Cumisque morantem fusius depingit. Hoc quoque annotandum est Aeneam apud Vergilium semper vel deos regionis, ad quam appellit vel Junonem colere, contra Dionysium fere ubique templa in honorem Aphroditae, Aphroditae Aeneadis, vel Aphroditae et Aeneae condere. Quae discrimina causas dissensionum inter viros doctos

mihi videntur, de quibus infra disserere mihi proposui. Nunc colligenda sunt quae ad fabulam pertinent.

Hesiodus in fine Theogoniae Aeneam filium Aphroditae Anchisaeque commemorat et deinde pergit, 1111: „Κίρκη δ' .... γείνατ' Ὀδυσσῆος ταλασίφρονος ἐν Φιλότητι Ἄγριον ἠδὲ Λατῖνον .... οἱ δ' ἤτοι μάλα τῆλε μυχῷ νήσων ἱεράων Πᾶσιν Τυρσηνοῖσιν ἀγακλειτοῖσιν ἄνασσον" quae probare videntur eum nondum de Aeneae itinere audivisse.

Arctinus in Ἰλίου περσίδι narrat: „ἐπὶ δὲ τῷ τέρατι (Laocoontis leto) δυσφορήσαντες οἱ περὶ τὸν Αἰνείαν ὑπεξῆλθον εἰς τὴν Ἴδην, καὶ Σίνων τοὺς πυρσοὺς ἀνίσχει τοῖς Ἀχαίοις".

Lesches cf. Tzetz ad Lycoph. Alex. 1263 in μικρᾷ Ἰλιάδι dixisse fertur: „Ἀνδρομάχην καὶ Αἰνείαν αἰχμαλώτους δοθῆναι τῷ Ἀχιλλέως υἱῷ Νεοπτολέμῳ καὶ ἀποχθῆναι σὺν αὐτῷ εἰς Φαρσαλίαν, τὴν Ἀχιλλέως πατρίδα". Quae verba tamen Schol. in Eur. Androm. 14 Simmiae attribuit.

Acusilaus sec. Schol. Hom. Il. XX, 307 scripserat: „Ἀφροδίτη χρησμοῦ ἐμπεσόντος ὅτι τῆς τῶν Πριαμιδῶν ἀρχῆς καταλυθείσης οἱ ἀπ' Ἀγχίσου Τρώων βασιλεύσουσιν Ἀγχίσῃ ἤδη παρηκμακότι συνῆλθεν etc.".

Hellanicus cf. Dion. I, 47 i. f. tradiderat Aeneam Troja capta ad Idam profugisse et post varios casus cum liberis suis, praeter Ascanium, ad Pallenen profectum esse.

Sophocles cf. Dion. I, 48 in Laocoonte cantaverat: „Νῦν δ' ἐν πύλαισιν Αἰνείας ὁ τῆς θεοῦ Πάρεστ', ἐπ' ὤμων πατέρ' ἔχων κεραυνίου Νώτου καταστάζοντα βύσσινον Φάρος. Κυκλεῖ δὲ πᾶσαν οἰκετῶν παμπληθίαν· Συμπλάζεται δὲ πλῆθος οὐχ' ὅσον δοκεῖς, Οἳ τῆσδ' ἐρῶσι τῆς ἀποικίας Φρυγῶν" et, cf. Strabo XIII pg. 608, in Ilio capto: „τὸν δὲ Αἰνείαν μετ' Ἀγχίσου τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ παιδὸς Ἀσκανίου λαὸν ἀθροίσαντα πλεῦσαι."

Xenophon in libro de Venatione scripsit I, 15: „Αἰνείας

δὲ σώσας μὲν τοὺς πατρῴους καὶ μητρῴους θεοὺς, σώσας δὲ καὶ αὐτὸν τὸν πατέρα δόξαν εὐσεβείας ἐξηνέγκατο ὥστε καὶ οἱ πολέμιοι μόνῳ ἐκείνῳ ὧν ἐκράτησαν ἐν Τροίᾳ ἔδοσαν μὴ συληθῆναι."

Dionysius testatur Aristotelem scripsisse I, 72: „quosdam Graecos, ex Troja revertentes, dum circum Maleam navigarent, violenta tempestate correptos, aliquamdiu ventis agitatos per varias maris partes errasse, tandem vero in eum regionis Opicae locum pervenisse, qui Latium vocatur et mari Tyrrheno adjacet." Et idem, ib: „Calliam, qui Agathoclis res gestas conscripsit, narrasse, Romam quandam, unam e Trojanarum numero, quae cum ceteris Trojanis in Italiam venerunt, Latino, Aboriginum regi, nupsisse."

De eodem scripsit Festus: pg. 269: „Caltinus * Agathoclis Siculi qui res gestas conscripsit, arbitratur e manu Trojanorum fugentium * Ilio capto cuidam fuisse nomen Latino eumque habuisse conjugem Rhomam."

De Timaeo legimus apud Dion. I, 67 „σχήματος δὲ καὶ μορφῆς αὐτῶν (Πενατῶν) πέρι Τίμαιος μὲν ὁ συγγραφεὺς ὧδε ἀποφαίνεται: κηρύκια σιδηρᾶ καὶ χαλκᾶ καὶ κέραμον Τρωϊκὸν εἶναι, τὰ ἐν τοῖς ἀδύτοις τοῖς ἐν Λαουινίῳ κείμενα ἱερά· πυθέσθαι δ' αὐτὸς ταῦτα παρὰ τῶν ἐπιχωρίων" et apud Polyb. XII, fr. 4 *b*: „καὶ μὴν ἐν τοῖς περὶ τοῦ Πύρρου πάλιν φησὶ (Τίμαιος) τοὺς Ῥωμαίους ἔτι νῦν ὑπόμνημα ποιουμένους τῆς κατὰ τὸ Ἴλιον ἀπωλείας, ἐν ἡμέρᾳ τινὶ κατακοντίζειν ἵππον πολεμιστὴν πρὸ τῆς πόλεως ἐν τῷ Κάμπῳ καλουμένῳ, διὰ τὸ τῆς Τροίας τὴν ἅλωσιν διὰ τὸν ἵππον γενέσθαι τὸν δούριον προσαγορεύμενον."

Et Conon Vergilii aequalis tradit in Narrat. 46: „Αἰνείας, ὁ Ἀγχίσου καὶ Ἀφροδίτης, διαφυγὼν τοὺς Ἀχαιοὺς τὸ μὲν πρῶτον ᾤκει τὴν Ἴδην .... ἀναλαβὼν Ἀγχίσην τὸν πατέρα καὶ ὅσους δύναιτο τῶν συμφυγάδων, πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα (καταδύντα) ᾤχετο κατὰ Ἀφροδίτης ἐπίσκηψιν. Διαβὰς οὖν τὸν Ἑλ-

λήσποντον καὶ ἀφικνούμενος εἰς θερμὸν καλούμενον κόλπον, Ἀγχίσην μὲν ἀποθανόντα θάπτει, αὐτὸς δὲ τῶν ἐπιχωρίων δεομένων, ὥστε βασιλεύειν αὐτῶν, οὐκ ἐδέξατο. Εἶτα εἰς τὴν Βρουσιάδα γῆν ἔρχεται, πᾶσι δ' ἣν ἐφίμερος οἷς ἐντυγχάνει, κατὰ χάριν τῆς Ἀφροδίτης· ἐνταῦθα μυκησαμένης τῆς συνεπομένης αὐτῷ βόος ἐξ Ἴδης λαμβάνει τὸ κράτος τῆς γῆς, διδόντων τῶν ἐπιχωρίων καὶ βοῦν θύει Ἀφροδίτῃ καὶ κτίξει πόλιν, ἥ τότε μὲν Αἶνεια ἀπὸ τοῦ μὲν κτίσαντος, ὕστερον δὲ, παρενεγκόντος τοῦ ὀνόματος, Αἶνος ἐκλήθη λόγος μὲν οὖν εἷς οὗτος, ὑπὸ Ἑλλήνων ἐπὶ πόλλοις ἄλλοις λέγεται, ὁ δὲ τὸ Ρωμαῖον γένος εἰς αὐτὸν ἀναφέρων, καὶ οἰκίστην ποιῶν Ἄλβας, καὶ τὸ χρηστήριον, ὁ κατοικεῖν ἔπρεπε, ὁπότ' ἂν αὐτὸς ἅμα τοῖς σὺν αὐτῷ θύσας, μετὰ τῶν σιτίων καταφάγοι, καὶ τὰς τραπέζας, οὗτος καταμάξευται."

His addenda sunt testimonia, quae nobis Dionysius et Festus tradiderunt, quibus nomina scriptorum incerti temporis sunt subscripta. Inter hos invenimus Menecratem Xanthium, (Dion. I, 48) narrantem: „urbem (Trojam) ab Aenea, propter simultates cum Alexandro, esse proditam atque ob istud beneficium Graecos ei permisisse ut suam domum servaret, eumque in civitatem suscepisse," Cephalonem Gergythium et Hegesippum, rerum Pallenarum scriptorem (Dion. I, 49), qui Aeneam in Thraciam deducunt eumque ibi vitam finisse dicunt (cf. Ath. IX, pg. 393: „ὁ δὲ τὰ Κεφαλίωνος ἐπιγραφόμενα Τρωικὰ συνθεὶς Ἡγησιάναξ ὁ Ἀλεξανδρεύς." Antiochi Magni aequalis cf. Ath. IV, pg. 155). Aristus, qui de rebus Arcadicis scripsit, aliique eum ex Thracia discedentem faciunt et in Arcadiam, ubi urbes Orchomenum Caphyasque (cf. Pausan VIII, 12, 5; 13, 4) condidit, deducunt, Agathyllus Arcas cantavit: „Ἵκετο δ' Ἀρκαδίην .... Αὐτὸς δ' Ἑσπερίην ἔσυτο χθόνα, γείνατο δ' υἷα Ῥωμύλον" et scriptor annalium sacerdotalium Argivorum (Dion. I, 72) narravit:

„Aeneam cum Ulysse e Molossis Italiam appulsum, urbem condidisse" cui Damastes Sigensis aliique consentiunt.

Sic apud Festum pp. 266, 269, memorantur scriptor historiae Cumanae (Hyperochus Ath. XII, 37), qui tradidit: „Valentiam, quod nomen adventu Evandri Aeneaeque in Italiam cum magna graece loquentium copia interpretatum dici coeptum Romam", et Agathocles, Cyzicenarum rerum scriptor, qui narravit: „Vaticinio Heleni impulsum Aeneam Italiam petivisse portantem suam secum neptem, Ascani filiam, nomine Rhomam" et paullo post: „complures esse auctores, qui dicant Aeneam sepultum in urbe Berecynthia proxime flumen Nolon, atque ex ejus progenie quemdam nomine Rhomum venisse in Italiam", Galitas (Clinias?) denique, qui scripsit: „cum post obitum Aeneae imperium Italiae pervenisset ad Latinum."

Nonnulla testimonia autem supersunt, quibus a viris doctis vis diversa attribuitur. Apud Macrobium Sat. V, 2, 4 legimus: „Vergilius eversionem Trojae, cum Sinone suo et equo ligneo ceterisque omnibus, quae librum secundum faciunt a Pisandro ad verbum transscripsit." Sed omnibus quaestionibus de hoc Pisandro relictis, in libri Aeneidos secundi fine Vergilius Aeneam cum suis in montem Idam decedentem, non tamen ad loca remotiora proficiscentem descripsit.

Tabula Iliaca, quae (cf. Bernhardy, Gr. Litterat. II, 1, 191. Montfaucon, Antiquit. expliq. IV, 2 et comment. pg. 297 sqq.) saeculo septimo decimo exeunte ad viam Appiam inventa, tempore aut Julii Caesaris aut Claudii facta dicitur, cui inter alios titulos subscripta sunt haec: „Ἰλίου πέρσις κατὰ Στησίχορον, Τρωικός", et ejusdem pars quae in margine: „Αἰνήας σὺν τοῖς ἰδίοις ἀπαίρων εἰς τὴν Ἑσπερίαν", si certiore

fide digna esset, Stesichorum Aeneae ad Italiam transitus primum testem indicaret. Sed quia nec fragmenta ejus Ἰλίου πέρσεως, neque ullus scriptor, ejus opera citans, de hac Aeneae itineris descriptione mentionem facit, deinde quia tempus Caesarum valde idoneum fuit ad talia figmenta prodenda, haec subscriptio mihi nimis suspecta videtur, quam ut tabula illa pro testimonio de Stesichori narratione habeatur.

Apud Lycophronem in Alexandra Aeneas, qui indicatur v. 1232 et 1256, Rhaeceli (ab eo Aenum appellati, cf. Tzetzes 1236) habitavit et ex Halmonia (regione Boeotiae, cf. Paus. IX, 34, 10, Macedoniae cf. Marc. Schol. 1236) profectus est ad Tyrrheniam, ubi flumen Lingeus urbesque Pisae et Agylla (Caere) eum acceperunt. „Postquam ibi cum Nano (Odysseo) nepotibusque Heraclis, Tarchone et Tyrrheno, foedus icerit et mensam ciborum plenam invenerit, quam socii sui comedent, in regione Aboriginum triginta arces condet secundum numerum porcellorum, quos sus nigra, ex Ida ab eo advecta, ediderit, quorum simulacrum in urbe consecrabit. In adyto templi, quod Myndiae Pallenidi (Minervae) condet, simulacra Penatum collocabit, quae Troja incensa Graecisque ei dantibus optionem sumendi ex aedibus quod velit, uxorem liberosque relinquens, cum patre servaverit; quam ob causam etiam ab inimicis pius habebitur. Posterisque suis patriam felicem parabit, sitam juxta altas silvas Circaei, et portum inclytum Argonis, Aeëtam, et Phorces et flumen Titonem et promontorium Zosterii (Apollinis), ubi horrendum domicilium Sibyllae." Talia Alexandra, Priami filia, vaticinatur.

Haec vulgo Lycophroni attribuuntur. Sunt tamen qui eum Alexandrae auctorem esse negent contendantque eam,

ex Timaeo depromptam vel totam vel saltem loca, quae ad Italiam spectent, Antiocho III Magno regnante esse factam, de quibus sententiis Klausen (Aeneas und die Penaten II, pg. 580 sqq.) ita disseruit: „Es ist ferner unverkennbar, dasz, wie fast alle sonst unbekannten italischen Sagen, welche Lycophron erzählt, aus ihm herrühren, die Bezeichnung des Cajetanischen Meerbusens als eines aëtischen Hafens der Argo gradezu von ihm entlehnt ist. Diese Stelle aber ist ein Theil der Schilderung von Aeneas Ansiedlung in dieser Gegend. Hiernach können wir unbedenklich behaupten, dasz Timaeus der Gewährsmann jener ganzen Erzählung ist, wie Aeneas irrend etc.".

Quamquam Lycophron habet, vs. 1272: „.... *δωμήσεται Τύρσιν μακεδνὰς ἀμφὶ Κυρκαίου νάπας, Ἀργοῦς τε κλεινὸν ὅρμον, Αἰήτην μέγαν*" cett. et Diodorus Siculus IV, 56, tradit Timaeum quoque scripsisse: „*τοὺς Ἀργοναύτας .... κατὰ μὲν τὴν Τυῤῥηνίαν ἀπὸ σταδίων ὀκτακοσίων τῆς Ῥώμης ὀνομάσαι λίμενα Τελεμῶνα, κατὰ δὲ Φορμίας τῆς Ἰταλίας Αἰήτην, τὸν νῦν Καιήτην προσαγορευόμενον*," praetereaque Tzetzae saltem testimonio constat Lycophronem multa loca ex Timaeo depromsisse, haec argumenta tenuiora mihi videntur quam ut ex iis efficere liceat Lycophronem totam illam narrationem ex eodem fonte hausisse, imprimis quia Tzetzes his in locis de Timaeo omnino tacet.

De altera conjectura Klausen ita argumentatus est: „Die Echtheid dieser Stelle (Alex. 1226—1235) ist bezweifelt, weil am Hofe des Philadelphus Lycophron unmöglich die Römer, welche damals noch keine Flotte hatten, als Herren des Meers preisen konnte. Statt dieses kümmerlichen Behelfs hat Niebuhr den Lycophron in das

Zeitalter Antiochus des Groszen herab gerückt. Und ohne Zweifel ist das Gedicht in einer Zeit geschrieben, da das Auge der Welt auf einen Kampf zwischen Europa und Asiën gerichtet war, wie ihn die Römer mit Antiochus führten .... Wir können also der Alexandra Abfassung nicht heraus versetzen aus der Zeit, da Antiochus mit den Römern zusammentraf."

Sed Lycophroni (cf. Suidas i. v.), qui Ptolemaeo Philadelpho regnante Alexandriae floruit et cladem Carthaginiensium apud Mylas optime cognosse potuit, quia Asiani Antiocho II duce cum Ptolemaeo bellum gessissent, Romanos, illos novos maris dominos, Asianorum quoque victores fingere in promptu erat. Talia negare, contendere poetas ne incertis ambiguisque verbis quidem, quibus tota Alexandra scatet, quae forte fortuna postea facta sunt, indicare potuisse, iis omnem fingendi artem abjudicare mihi videtur horroremque vaticinationum, nullo modo humano ingenio convenientem, prodit. Itaque neque omnia quae in Alexandra legimus jam Timaeum scripsisse, neque Lycophronem hujus carminis non auctorem fuisse iis concedere possum.

De testibus Romanis brevius agere licet. Inter hos Naevius facile principatum tenet. Scripsit enim in Belli Punici (Ed. L. Muelleri) L. I fr. 6 „Postquamde aves aspexit in templo Anchisa, Sacra in mensa Penatium ordine ponuntur. Tum victimam immolabat auream pulchram", fr. 14 (Serv. Aen. I, 170) „Novam tamen rem Naevius dicit: unam navem habuisse Aeneam, quam Mercurius fecerit", fr. 19 (Dan. Serv. IX, 715) „Prochyta .... hanc Naevius de cognata Aeneae nomen accepisse dicit", fr. 20 (Lactant. Inst. div. I, 6) „Quartam Sibyllam Cimme-

riam in Italia, quam Naevius in l. B. P., Piso in annalibus nominat", fr. 22 (Nonius 335, 2 perconta) „.... blande et docte percontat Aenea quo pacto Trojam urbem liquisset", fr. 23 (Serv. I, 273) „Naevius et Ennius Aeneae ex filia nepotem Romulum conditorem urbis tradunt", fr. 25 (Serv. IV, 9) „Anna soror, ... cujus filiae fuerint Anna et Dido Naevius dixit."

Quamquam Ennius, Cincius Alimentus, Acilius Glabrio, Porcius Cato, Cassius Hemina, Postumius Albinus, Fabii quidam, Sempronius Tuditanus, Lutatius Catulus, Aelius Tubero, Terentius Varro, quorum fragmenta ad nos pervenerunt omnes plus minusve has ad Aeneam pertinentes res tractarunt, nemo eorum ad ea quae a Naevio tradita sunt novi quidquam addit, nisi Cincius Alimentus, qui habet (Krause pg. 73): „Post haec Ascanius completis in Lavinio triginta annis .... speculatus montem editum, qui nunc ab ea urbe, quae in eo condita est, Albanus nuncupatur, civitatem communit"; Postumius, qui scripsit (Kr. 131): „Bajam Euximi, comitis Aeneae, nutricem et ab ejus nomine Bajas vocatas dicunt"; Caesar et Sempronius (Kr. pg. 180) qui ajunt: „Cajetae cognomen fuisse non nomen, ex eo scilicet inditum, quod ejus consilio impulsuque matres Trojanae taedio longi navigii classem ibi incenderint, graece scilicet appellatione ἀπὸ τοῦ καίειν, q. e. incendere"; Lutatius, apud quem legebantur (Kr. 319): „recordatum Aeneam, quod aliquando ei responsum esset, urbi condendae quadrupedem futuram ducem. Tum simulacris deorum Penatium prosecutum, atque illum, ubi illa procubuit enixaque est porculos triginta, ibidem auspicatum, postquam Lavinium dixit."

Hi nobis sunt fontes e quibus haurienda sunt omnia

quae ad Aeneiae fabulae originem, auctum, iter, historiam denique pertinent. Omnia igitur quae ad statuendum quid Vergilius invenerit quidque finxerit nobis supersunt.

§ 2. *De virorum doctorum judiciis.*

De Aenea hoc saeculo disputarunt O. Müller, Classical Journ. 1822; Uschold, Geschichte des trojan. Kriegs, Anhang 1836; Bamberger, Rhein. Museum VI, pg. 82: „Ueber die Entstehung des Mythus von Aeneas' Ankunft in Latium"; Klausen, Aeneas und die Penaten; Schwegler Röm. Gesch. I, pg. 279; sqq., Preller, Röm. Myth. 3th Ausg.; Rubino, Beitrage zur Vorgeschichte Italiens, 1868; Max Zoeller, Latium und Rom., 1878; Hild, „La legende d'Enée" (Revue de l'histoire des religions, 1882). Horum omnium disputationibns cognitis admiratione sagacitatis et componendi interpretandique artis imbuimur. Sed quia vias, quas his ducibus perambulavimus, respicientes aliquo modo deceptos nos fatemur, in eas accuratius inquiramus necesse est. Nam et de via et de tempore quo Aeneas Romam pervenisse putandus est viri docti dissentiunt.

Müller, quem plerumque Klausen secutus est, Aeneam cum Apollinis cultu et Sibyllarum vaticiniis conjunxit et fabulam de eo per Cumas in Italiam, regnante Tarquinio Superbo Romam pervenisse contendit; quae hoc modo explanat. Apud Gergitham, ubi Dario regnante antiqui Teucri habitabant, templum Apollinis Sminthei et Sibylla Herophile, quae Aeneadarum gloriam canebat, fuerant. Postea Sibylla Erythraea, Trojanis Aeoliisque huc migrantibus, Gergithanae Sibyllae antecelluit, cujus vaticinia per insulas usque ad Delphos circumlata sunt. Prope Erythras

urbs Cyme, portus Asiae Minoris celeberrimus, mater Cumarum, sita est et quid naturae magis consentaneum, quam cum incolis Sibyllae vaticinia quoque migrasse? Haec et cum iis fabula de Aenea Cumis Romam transierunt.

Hanc Mülleri opinionem recentiores scriptores ob easdem fere causas refutaverunt. Etenim non constare arguunt nomen Aeneae in oraculis Sibyllinis fuisse; nam quae de his Dionysius Serviusque narrent, ex libris Sybillinis post Capitolii incendium refectis hausta esse. Deinde, quamquam Apollinis cultus per Sibyllinum oraculum Romam invectus sit, cum eo fabulam de Aenea conjunctam fuisse demonstrari non posse. Denique Aeneam non Romae sed Lavinii conditorem dici et Lavinii Apollinis cultus ne vestigia quidem reperiri. Reprehensiones illae non minoris momenti! Quo modo tamen hi reprehensores quaestionem enodarint nunc jam videbimus.

Preller, R. M. I, pg. 434 nos docet Venerem, neque in Saliari carmine neque in Indigamentis commemoratam, apud Latinos Deam verni temporis, ut Floram et Feroniam, et societatis, quemadmodum Concordiam, fuisse, quae munera confusioni cum Aphrodite Siciliensi, cum cujus cultu fabula conjuncta erat, faverunt. Cf. Strabo V, 232, Plin. N.H. 56, 57. Sic Aeneas Lavinii Ardeaeque, ubi Veneris Latinae cultus erat, benevole acceptus postea in Patrem Indigitem, apud Numicium adoratum, transiit et e natura rerum hujus titulorum heres, conditor Lavinii, Vestae cultus Penatumque sedis, factus est. Cf. I 94 et II, 141 cf. Dion. I, 64. Arnob. 1, 36. Tibul. II, 5, 43. Ovid. Met. XIV, 588. Roma cultum illum recepit, quia Lavinium et Romae et Albae Longae mater habebatur II, 161, 322 cf. Varro L. L.

V, 144 quod praeterea e solemnibus sacris ibi a consulibus dictatoribusque factis apparet, cf. Macrab. III 4, 11. Valer. Max I, 67, quamquam revera Alba Longa antiquior erat, cujus gloria tamen periit, quia, foedere Latino soluto, Lavinium solum memoriam Penatum servaverat, qui Trojanis Penatibus adductis fortiores facti Penates Albae Longae superaverant. Cf. Liv V, 52, Dion. V, 12. Ad Siciliam praesertim apud montem Erycem Aphrodite, passim jam Αἰνείας cognominata et ad Maris Interni littora celebrata, e Troja et Asia pervenit. Cf. Dion. I, 52. Strab. VIII, pg. 608. Verg. Aen. V, 759. Tempus, quo Trojanae origini Romae fides habita est Preller, ll., p. 315, inter Latinum et primum Punicum bellum ponit. Ex odio Graecorum hac in fabula expresso, suspicio ei oboritur bello cum Tarento Pyrrhoque id factum esse.

Rubino, qui coll. Strab. VI, pg. 264, Athenae Iliadis cultum quoque fabulae de Aenea vehiculis annumerat, inprimis secundum tabulam Iliacam fabulam multo maturius Romam pervenisse contendit. Carmina Homerica, priscis temporibus ubique jam circumlata, nomen Aeneae ad Italiam tulisse, Aeneam ubique cultum, ubique fabulis ornatum dicit, e quibus fabulis, singulis locis narratis, secundo Romae saeculo fabula, cui jam argumentum quodammodo certum et constans non denegari potest, emanavit, cf. Rub. pg. 81.

Schwegler, originem fabulae tractans, Aeneam Penates Trojanos servantem et ad Italiam ducentem, insignem facit I, 324. Hanc ob causam Aeneam Lavinii receptum dicit. Quia Penates adduxerat in Larium urbe benevole exceptus est, pg. 319. Fabulam Aeneiam et fabulis Cumaeis, pg. 321 n. 9, et Aphrodites cultu, Ardeae Laviniique

(cf. Strab. V, pg. 232) secum illam fabulam ferenti, pg. 301, et ab Ardeatibus ab Aphrodite Erycina desumpto, auctam credit. Sic Aeneas, quia Lavinii nominisque Latini conditor habebatur, Pater sive Jupiter Indiges factus pg. 328, a Romanis cum Penatibus Laviniensibus acceptus est, pg. 317.

Quod ad tempus attinet Prellero consentit et testimonia citat Justin. XXVIII, 1, 6, cf. 2, 2. Suet. Claud. 25. Herodian Hist. I, 11, 3. Liv XXIX, 12. XXXVII, 37. XXXVIII, 39. Plut. Flam. 12. Just. XXXI, 8, 1 aliaque e recentioribus temporibus.

Estne illa conjectura tanto validior quam quae per Cumas Aeneam ad Italiam Romamque adducit? Non inquirendum est in Aphrodites cultum, utrum ab Eryce ad Ardeam migraverit an non, sed in Aeneae cum Aphrodite conjunctionem et in modum quo haec approbata est. Ut hanc demonstrent Preller Verg. V, 759, Dion. I, 53, Strab. VIII, pg. 608 citat praeterque hos locos Schwegler Tacit. Ann. IV, 43. Solin, II, 14. Serv. Aen. I, 720 et Uscholdi testimonium, qui scripsit, nomen Aeneadarum non originem suam ex Aenea, qui nunquam vixerit, ducere sed ex Aphrodite Aeneiade, tutela Teucrorum principum, quam ob causam illam Aphroditen Aeneiadem ubique quo Thraces consedissent, ad quos Teucri pertineant, inveniri. (Uschold Αἰνείας a nomine αἶνη deducit, ut sit gloriosa, Klausen ab αἰνεῖν τι, ut sit placabilis, Auctor Hymni ad Aphroditen, v. 197 ab ἄϊνον).

Videamus autem quid de his locis citatis judicandum sit. Solinus, quum scripsit Cassium Heminum tradidisse: „Aeneam simulacrum quod secum ex Sicilia advexerat Veneri matri, quae Frutis dicitur, dedicasse" nullo modo conjunctionem Aeneae cum Aphrodites cultu affirmat. Taci-

tus, Ann. IV, 43 commemorat Segestanos, aedem Veneris restaurari postulantes: „nota memorantes de origine ejus et laeta Tiberio; suscepit curam libens ut consanguineus", quae demonstrant et Segestanos et Tiberium templum Veneris in Eryce ab Aenea conditum credidisse, sed non id quod demonstrandum erat, Cf. Tac. XII, 58. Servii annotatio: „Erycina, quam Aeneas secum advexit" nil aliud nisi fabulae repetitio est. Vergilius deinde testatur Aeneam templum Aphroditae Idaliae in vertice Erycino condidisse; Strabo nos certiores facit nonnullos scripisse Aeneam cum Trojano Elymo Aegestam venisse, quae ambo nullo modo quaestionem solvunt. Sic Dionysius solus aram Aphrodites Aeneadis ab Aenea, templum que Aeneae ab sociis Aegestae Elymaeque conditum commemorat. Suntne illae res re vera actae? Nemo credet. Est igitur figmentum. Possitne fieri ut et locus et tempus hujus figmenti originis reperiamus? Experiamur.

Apud Romanorum scriptorum neminem haec nomina „Aphrodite s. Venus" et „Aeneades" conjuncta invenimus, ne apud Vergilium quidem. Apud Strabonem, quamquam plura Aphrodites cognomina e. g. Coliadis pg. 398, Castneidis pg. 438 citavit, scripsitque de Leucade, de Actio, de Ambracia et Apollinis templa ibi commemoravit, nusquam Aphrodite Aeneias invenitur. Ne Pausanias quidem ea nomina conjunxit. Unde igitur hanc conjunctionem Dionysius petivit? Ille, qui testes notos ignotosque, narrantes Aeneae ad Pallenen adventum citat, testimonia longinquioris itineris, scriptoribus subito relictis ex Sibyllinis libris et oraculis Pythicis petit, quod forsitan ejus honestati ornamentum sit, at fidem tamen non auget. Neque ante neque post eum ullus scriptor de hac Aphrodite Aeneadi mentionem fecit nisi hujus aevi viri docti. Quae quum

ita sint, haud temere conjicias, Dionysium vel aequales, sui aevi moribus excitatos, non hoc iter sed hoc nomen multis auribus gratum fiuxisse. Itaque contra illam opinionem, quod ejus auctores de fabulae per Cumas transitu dixerunt, repetere possumus: „non constat Aeneae nomen cum Aphrodites cultu conjunctum fuisse."

Sed Lavinio non Cumis fabula Romam migravit neque alio modo migrare potuit. Nam Lavinium, ubi templum erat Veneris Frutis non Apollinis, Penatum sedes erat, cf. Preller I pg. 436, II pg. 311. Schwegl. pg. 317. Testimonia habent haec: Varr. L. L. V, 144. „Oppidum quod primum conditum in Latio stirpis romanae nam ibi dii penates nostri", Strab. V, pg. 232: „*ἀνὰ μέσον δὲ τούτων τῶν πόλεων ἐστι τὸ Λαυίνιον, ἔχον κοινὸν τῶν Λατίνων ἱερον Ἀφροδίτης, ἐπιμελοῦνται δ' αὐτοῦ διὰ προπόλων Ἀρδεᾶται. Εἶτα Λαυρεντόν.... ἔστι δὲ καὶ ταύτης πλησίον Ἀφροδίσιον, ὅπου πανηγυρίζουσι Λατῖνοι. Σαυνῖται δ' ἐπόρθησαν τοὺς τόπους καὶ λείπεται μὲν ἴχνη πόλεων, ἔνδοξα δὲ διὰ τὴν Αἰνείου γέγονεν ἐπιδημίαν καὶ τὰς ἱεροποιίας, ἃς ἐξ ἐκείνων τῶν χρόνων παραδεδόσθαι φασί*", Plin. N.H. III, 56, 57. „Ardea a Danae Persei matre condita, dein quondam Aphrodision."

Nemo profecto Aeneam cum Penatibus et hanc ob causam cum Lavinio quoque conjunctum esse negabit, sed quis fabulae migrationem per Lavinium his locis approbatam dicet?

Recentiorum doctorum igitur opinio mihi non firmioribus argumentis niti, quam illa Mülleri videtur. Eorum testimonia ad explicandum fabulae iter non sufficiunt, sed eorundem opiniones non tantum quantum contenditur se invicem tollunt. Hujus vitii culpa in posteriores est conferenda, qui, Aeneam Cumis Romam adductum negantes, alii cultui mi-

grationem assignaverunt. Hi deorum cultus non per se migrare sed ab hominibus propagari cogitare neglexerunt, qua neglegentia deducti ceteris quaestionibus relictis, obliti sunt viros Trojanos, qui Apollinis cultum Cumas transtulissent, et Aphrodites cultum et fabulam de Aenea quoque traducere potuisse; nam Aphrodites patria Ida erat, in cujus radicibus, (cf. Paus X pg. 826, 827.) Sibyllae, Apollinis aeditumi, sedes. Haec si non praetermittimus praetereaque animadvertimus non sacerdotes sed nautas fuisse, qui altum petentes fabulam traduxerunt, facile patet errare, qui cultus a fabulis ejusdem regionis tantopere secernant.

Fluctus autem excitare in simpulo viri docti mihi videntur. Etenim quod argumentum fabulae, quum ad Italiam pervenit, esse potuit? Nil aliud nisi hoc: „Aeneas, Aphrodites Anchisaeque filius omnium Trojanorum rex erit", quibus fortasse addenda sunt: „qui postquam cum patre et aut sine filio aut cum eo Troja deleta ad Idam confugit, deinde Aenum vel Aeneam condidit et ad Arcadiam pervenit". Non profecto: „Berecynthiae vel Aeni sepultus est", quae tamen quoque tradita sunt. Nonne exilius argumentum quam ut dignum esset quod posteris traderetur? Talia neminem nec dolore, nec laetitia, nec metu, nec spe implent, talia oblivioni dantur, nisi quis veniet, qui ut proposita assequatur, ea ab hominum oblivione vindicet. Illis praeterea ut ex Asia in Italiam perveniant, nec Sibyllis neque Aphrodites cultu opus est; carmina poetarum ad transitum sufficiunt. De hujus transitus ratione jam inter antiquos scriptores dissensionem fuisse Vergilius et Dionysius testari mihi videntur, quorum ille Aeneam ad Cumas Sibyllamque adduxit, hic de ea re omnino tacet, de templis vero Aphrodites ab Aenea et de templis

in Aeneae et Aphrodites Aeneadis honorem conditis saepius mentionem facit, de quibus praeter illud in Erycis vertice ne vestigia quidem apud Vergilium invenimus; quam dissensionem veterem discriminis recentioris fontem esse mihi quidem valde probabile videtur.

§ 3. *Fabulae historia.*

Inquirentibus in fabulam de Aenea, inita a scriptoribus traditarum narrationum ratione, inprimis causae, quae homines moverunt ut eam acciperent, mutarent ornarentque observandae sunt. Nam illud „sine causa nullus effectus" in primis in fabulis valet, quae tanta praemeditati ornatus indicia, quanta Aeneia ostendunt. Culmen autem ornatus fabula ob causas nullo modo absconditas in Aeneide attigit. Fabulae argumentum in temporum cursu primum indagabo et deinceps mutationis causas exquirere conabor.

Fabulae cunabula versus Il. XX, 307 sunt, ad quos Vergilii verba Aen. III, 97 spectant, quam sententiam auctor Hymni ad Aphroditen repetivit: „Aeneadae Trojanorum principes erunt!"

Hesiodus Aeneam paucis verbis commemorat. Quod autem sequentibus versibus (cf. Theog. 1008) de Agrio Latinoque, filiis Ulyssis et Circes, Tyrrhenorum in insulas remotas ducibus, agit, eum longinquiora Aeneae itinera nescire contendere licet.

Arctinus non de Aenea (cf. Schwegler pg. 296, Preller II, pg. 311) sed de ejus familiae ad Idam migratione mentionem fecit, e quibus testimoniis patet ante saeculum fere septimum a. Chr. n. nullum testem Aeneae itineris nobis

superesse, nisi Tzetzen commentatori Euripidis anteponamus, quorum ille Leschen, hic Simmiam auctorem fabulae facit, quae Aeneam, captivum Achillis, cum Andromache Pharsaliam abductum esse narrat.

Acusilai annotatione (pg. 16) excepta fere per tria saecula omnia de fabula testimonia desunt donec Hellanico occurrimus, qui omnium primus Aeneae Troja capta fugam ad Idam ejusque, cum liberis praeter Ascanium, migrationem ad Pallenen narrat. Memorabile autem est nos apud Herodotum, qui saepe Troaden, Pallenen, Aeneam et Aenum commemorat, ne vestigium quidem Aeneae invenire, quod silentium mihi magnum figmenti testimonium videtur (cf. Herodot. V, 13, VII, 20.) Sophocles Aeneam, humeris suis patrem ex urbe efferentem, postea cum eo Ascanioque altum petentem depingit (pg. 16). Xenophon eum non rebus suis spoliatum dicit, quia patris matrisque deos et patrem servavisset (pg. 16). Aristoteles Graecos, Troja revertentes, tempestate correptos in Latium venisse tradiderat (pg. 17), et duo fragmenta Calliae ad nos pervenerunt, in quibus vario modo nominis Romae originem e Trojana virgine, Latino cuidam nupta, explicat (pg. 17). Et Schwegler pg. 304 et Preller II, 314 inprimis multo majorem vim duobus testimoniis Timaei tribuunt, quorum alterum nos docet eum ab indigenis audiisse Penates in Lavinii adyto ferreos aëneosque caduceos et Trojanam testam esse, alterum Romanos in memoriam lignei Trojani equi quotannis in Campo Martio equum jaculo confodere solere (pg. 17). Sic ille profecto caeremonias commemoravit, quae testantur Romanos res Trojanas colere, in medio autem relinquitur utrum hoc laeti an tristes fecerint, sed quod ad fabulam de Aenea attinet certe nihil inde lucramur.

Statui igitur potest ante Punica bella fabulam de Aenea nec copiosam neque in certam formam redactam fuisse. Quo tempore illa bella gerebantur, fabula, ut et Alexandra et Bellum Punicum testantur, valde accrevit. Parvi interest utrum Alexandra Lycophroni an posteriori tempori assignanda sit, nam cum Naevii carmine utique primum locum tenet. Quamquam illa multa continet, quae magni sunt momenti ad fabulae posteriorem formam cognoscendam, fabulam de Aenea ipsam tamen modo tam ab aliis diverso narrat, ut, nisi scriptores nonnullas hujus carminis narrationes cum Aenea conjunxissent, nemo eam ad Aeneam referret. Aeneae nomen enim ibi non reperimus, voce „consanguineus" modo indicatur. Antiquis fabulis poëta usus est, sic. vs. 1260, Aeneas, quia servavit et patrios deos et patrem ab hostibus quidem pius dictus est; sic 1236 sqq. mora Aeneae in Macedonia, Ulixis in Italia, Telephi in Tyrrhenia cf. Herodot. I, 94. His autem nova figmenta adjunxit e. g. vs. 1239, Aeneae ad Tyrrheniam appulsum; vs. 1242, Ulixis cum Aenea foedus; vs. 1248, Tarchontis Tyrrhenique cum Aenea foedus; vs. 1250, mensas consumptas; vs. 1255, triginta arces secundum suis nigrae porcellorum numerum ejusque simulacrum; vs. 1261, paternos deos in templum ab eo aedificatum Μυνδίᾳ Παλληνίδι (in honorem Athenae Myndiae, aut, Mendae, Pallenae urbis) positos; vs. 1272, urbem magnam in Cumarum regione ab Aenea conditam. Quorum novorum figmentorum posteriores scriptores alia sibi vindicaverunt, alia missa fecerunt.

Aliam fabulae formam in Naevii fragmentis offendimus. In his omnes fere a Graecis traditae narrationes desunt, sed Penates commemorantur et deae diique domestici et

Anna, secundum Servium, Aen. IV, 9, mater Annae Didusque, quod nomen cum B. P. fr. I, 22 viros doctos ad conjecturam adduxit, Naevium primum omnium Aeneae Didonisque congressum narravisse. Hoc conjicere sane licet, sed indicium nimis tenue est quam ut id testimonium certum habeamus. E fragmentis tamen hoc certius posse effici mihi videtur, Naevium primum Aeneam pallio deposito, toga indutum pinxisse, eoque modo multum eo contulisse, ut fabula peregrina Romanis tam cara facta sit, ut inter eos aliquando locum praecipuum tenere potuerit.

Multorum aliorum scriptorum fragmenta quantopere fabula de Aenea Romanis cordi fuerit testantur. Cincius Alimentus (cf. Auct. de orig. gentis Rom. c. 17, Krause pg. 73) de Ascanio mentionem fecit et triginta arces, quae sunt in Alexandra, in triginta annos mutavit. Fabiorum unus nigram scrofam (cf. Alex. 1256), albam dixit. Ab aliis Bajae Cajetaeque a nomine Aeneae comitum appellatae sunt.

M. Porcius Cato (cf. Serv. Aen. I, 5, 267) Aeneae appulsum ad agrum Laurentum, Trojam, ejus prima castra, pugnas cum Latino et matrimonium cum Lavinia, filia Latini ejusque proelium cum Turno, ex quo nunquam rediit, omnium primus tradidit. Cassius Hemina (cf. Solin. II, 14) Aeneam simulacrum, quod secum ex Sicilia advexerat, Veneri matri dedicasse narravit. Varro (cf. August. C.D. XVIII, 19) Aeneam quoniam nusquam apparuerit, deum a Latinis factum dicit. Tibullus, quum cecinit II, 5, 43, „Illic sanctus eris, cum te, venerande, Numici Unda deum caelo miserit Indigetem", primus omnium flumen Numicium et Aeneam Indigetem commemorat, quod Ovidius, Met. XIV, 600, fusius facetiusque non tamen verecundius repetivit.

Sic fabula, temporum cursu magis magisque se ad nominum inprimis maritimorum locorum origines explicandas accomodans, priscis rebus actis Romanorum subtexta eoque modo Romanis familiaris facta est. Aeneas a fabulae initio dux princepsque Trojanorum, postquam ad Laurentum agrum appulit et occisus nusquam apparuit, in deorum numero relatus, Divus Pater Indiges vocatus est, q. d. Deus Latinorum tam priscorum, ut ejus cultus honoresque ex hominum memoria excesserint, cui, ut Dionysius tradit I, 64, jam Latini templum condiderant hac inscriptione ornatum: „Πατρὸς θεοῦ χθονίου, ὃς ποταμοῦ Νομικίου ῥεῦμα διέπει." Hos autem honores non ei nisi inter Romanos obvenisse verba Cononis Narr. 46 testantur, qui postquam ornatissime fabulae Graecam formam narravit, paucis verbis Romanam fabulam commemorat eamque omnibus notam dicit (pg. 17, 18).

E scriptis igitur testimoniis haec effici possunt:

In Iliade et in hymno ad Aphroditen imperium Trojanorum Aeneae Aeneadisque praedictum est.

Hellanicus primus omnium Aeneam ex Asia ad Pallenen traduxit, fortasse quod hujus regionis incolae sibi hanc originem vindicabant, cf. Herod. V, 13, VII, 20.

Callias et Timaeus non Aeneam sed Trojanos cum Roma Lavinioque conjunctos dixerunt.

In Alexandra quidam Alexandrae consanguineus nobis propositus est, cujus fata scriptores posteriores Aeneae assignaverunt.

Naevius Aeneae decessum e Troja, ejusque appulsum ad Italiam vernacula lingua apud Romanos introduxit. Post eum fabulam variis additamentis ornatam crescere videmus.

Haec praeterea mihi observanda videntur. Scriptores, qui primi Trojanos cum Roma conjunxerunt, Callias, Timaeus, Alexandrae auctor et Naevius fuerunt. Callias Syracusanus res gestas regis Agathoclis composuit. Timaeus Tauromenitanus fuit, qui, quamquam Athenis scripsit, magnam vitae partem in Sicilia degit. Lycophron, qui vulgo Alexandrae auctor habetur, regnante Ptolemaeo Philadelpho, Alexandriae vixit. Naevius, exsul, provectus aetate, Uticae bellum Punicum scripsit. E quibus omnibus concludere licet, antequam fabula de Aenea Romam pervenerit Romanorum cum Trojanis cognationem jam constitutam esse; patriam narrationis, quae Aeneam Trojanum ad Italiae littora traduxit, non Graeciam neque Italiam, sed Africam fuisse; originem denique fabulae, quae Romanos e Trojanis ortos facit ante bellum Punicum primum, quae Aeneae ad Italiam migrationem tradit, post hoc bellum, fortasse sub secundo bello Punico, ponendam esse.

Deinde inter Aenum vel Aeneam, urbes ad mare Thracicum sitas, et Italiam, praeter quae tradita sunt a Lesche, qui Aeneam captivum Pharsaliam adductum, a scriptore annalium sacerdotalium Argivorum, qui eum cum Ulixe in Italiam venientem et a Cassio Hemina, qui eum in Sicilia commorantem faciunt, ante Vergilium Dionysiumque nulla Aeneae commoratio neque in ulla continenti neque in ulla insula tradita est. Si praeterea discrimina, quibus utriusque itineris Aeneae narrationes abundant, observamus, ex iisdem patet, fabulam Aeneiam ne hoc tempore quidem in tam stabilem formam redactam fuisse ut mutari non posset. Quae quum ita sint, conjicere licet et Vergilium et Dionysium stationes Aeneae itineris suo utrumque arbitratu finxisse.

Quum denique Alexandra consanguineum suum in Tyrrhenia pingit cum aequalibus, Ulixe et Tarchone Tyrrhenoque, filiis Telephi, foedus jungentem, oratione sua et vaticinanti et vaga nullo modo in temporum ordine peccat. Naevius contra Aeneam per filiam avum Romuli facit, itaque hunc ordinem non curat. Cato autem secundum Dionysium I, 74, Romam quadringentis triginta et duobus annis post bellum Trojanum conditam scripsit, Vergilius Aen. I, 272, Livius I, 29, Justinus XLIII, 1, 13, hoc intervallum trecentos annos fuisse narrant, Dionysius autem I, 70, primus, Catonis rationem secutus, et nomina omnium regum Albae Longae et numerum annorum per quos regnaverunt nobis proponit; e quibus, — quamquam Ovidius quoque nonnulla regum nomina tradit cf. Met. XIV, 609, et Fast. IV, 41, — denuo patet et quantam operam ille in prisci temporis res actas componendo consumserit et fortasse, — nam nomina nullo modo originem Graecam celant, — quanta fingendi arte praeditus fuerit.

Jam deinceps quaestio instituenda erit quo tempore et quam ob causam Romani sibi originem Trojanam vindicarint. Thucydides res priscas Siciliae tractans narrat VI, 1, oppida Erycem Egestamque Phocaeis comitantibus a Trojanis, qui Troja effugerant, condita esse. Trojanorum igitur ad has regiones migratio multum ante bella Punica pro certo habetur. Foedera, quae Romani et Carthaginienses sec. Polyb. III, 22, 24, fecerunt, nos de eorum maritimo commercio certiores faciunt. Utrum eo vel alio modo Trojanorum posteri re vera ad Latii littora pervenerint an, quod multae Italiae urbes gentesque sua nomina a graecis heroibus deducerent, altera pars, inimicitiis rixisque impulsa, sibi Trojanam originem vindicaverit, quis dirimet?

Mihi maxime probabile videtur hoc figmentum natum esse inter Siculos, qui quum Romanos urbibus inferioris Italiae potiri viderent, eos novos Graecorum hostes, i. e. quasi reviviscentes Trojanos habebant. Quia haec tamen variis modis fieri potuerunt et nobis hac de vindicatione nulla testimonia tradita sunt nisi [1]) a scriptoribus, qui Aeneia fabula jam exculta vixerunt, nos haec nescire confitendum est.

Schwegler, pg. 305, locos citat ut originem hujus vindicationis jam primo bello Punico in usu fuisse demonstret. Inter hos Justinum, qui XXVIII, 1, 6, narrat: „Romanos fine belli Punici primi Acarnanibus auxiliatos esse, quia Acarnanes soli quondam adversus Trojanos, auctores originis suae, auxilii Graecis non miserint"; Herodianum, qui, ad Livii fusam narrationem (XXIX, 10), quomodo Romani Pessinunte Idaeam Matrem Romam deduxerint, addit I, 11, 3 „*συγγένειαν προβαλλόμενοι, καὶ τὴν ἀπ' Αἰνείου τοῦ Φρυγὸς εἰς αὐτοὺς διαδοχὴν καταλέγοντες*"; Livium, XXXVII, 37: „Consul (P. Scipio) inde Ilium processit et .... sacrificavit Minervae praesidi arcis, et Iliensibus in omni rerum verborumque honore ab se oriundos Romanos praeferentibus, et Romanis laetis origine sua", quae Justinus hoc modo reddidit, XXXI, 8: „Iliensibus Aeneam ceterosque cum eo duces a se profectos, Romanis se ab his procreatos referentibus; tantaque laetitia omnium fuit, quanta esse post longum tempus inter parentes et liberos solet." Haec omnia Romanos se tempore Augusti e Trojanis prognatos dixisse docent, quae tamen figmenti indicia nullo modo celare videntur.

---

1) Unum excipiendum est illud Catonis apud Servium ad Aen. V, 564: „quod ad Italiam (Polites) pervenerit et segregatus ab Aenea condiderit oppidum Politorium a suo nomine."

De Trojanis familiis Varro (cf. Serv. Aen. V, 704) et Hyginus (cf. Serv. V, 389) scripserunt. Dionysius, I, 85 narrat suo tempore Romae quinquaginta circiter familias Trojanas, prognatas e Trojanis, qui olim ex Alba Longa Romam profecti essent, superesse, quum ille, IV, 68 Junios, VI, 69 Nautios, Servius, Aen. V, 17 Sergios, Cloelios et Aemilios, Festus pg. 166 Nautios, de quibus Varro scripserat, cf. Serv. Aen. V, 704: „Pallas, quem (Nautem) docuit, — quia ipse Romam Palladium detulit, unde Nautiorum familia Minervae sacra retinebat", — inter Trojanas familias recensuerunt. Quum tamen jam queratur Cicero, Brut. § 62: „Et hercules hae (laudationes funebres) quidem exstant: ipsae enim familiae sua quasi ornamenta ac monumenta servabant, et ad usum, si quis ejusdem generis occidisset et ad memoriam laudum domesticarum et ad illustrandam nobilitatem suam. Quamquam his laudationibus historia rerum nostrarum est facta mendosior. Multa enim scripta sunt in iis, quae facta non sunt, falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa cett.", et Livius, VIII, 40: „vitiatam memoriam funebribus laudibus reor falsisque imaginum titulis, dum familiae ad se quaeque famam rerum gestarum honorumque fallenti mendacio trahunt. Inde certe et singulorum gesta et publica monumenta rerum confusa. Nec quisquam aequalis temporibus illis scriptor extat, quo satis certo auctore stetur"; et Plinius narret, XXXV, 2, 8: „Exstat Messalae oratoris indignatio, quae prohibuit inseri genti suae Laevinorum alienam originem. Similis causa Messalae seni expressit volumina illa, quae de familiis condidit", et Suetonius inter multa alia hujus generis scribat, Vitellius, Cp. 1: „Exstat Q. Eulogii ad Q. Vitellium, Divi Augusti

quaestorem, libellus, quo continetur, Vitellios Fauno, Aboriginum rege ortos toto Latio imperitasse, cett.", quum haec legamus, monemur ne nimiam operam in hanc inquisitionem conferamus, discimusque Romanorum animos in his rebus nec tam veritatis amantes nec tam fingendi artis expertes fuisse quam vulgo contenditur. Sed Calliae Timaeique testimonia nos docent migrationem Trojanorum Romam a nonnullis pro re certa et indubitata habitam esse. His initiis traditis uberior subtiliorque fingendi materia posteris relicta erat.

Hanc materiam in aliena terra paratam reperimus. Roma, a Thucydide nondum commemorata, a Theophrasto, qui, (cf. Plin. N.H. III, 57): „primus externorum aliqua de Romanis diligentius scripsit", Graecis monstrata, accolarum Maris Interni oculos magis magisque in se convertebat. Jam totam Italiam sibi subjecerat, Carthaginiensiumque classem ad Mylas et Ecnomum profligaverat, Carthaginique ipsi Tunete capta terrorem intulerat. Harum victoriarum fama ut Alexiandriam, sedem illam litterarum, pervenit in suo carmine Lycophron, opinionem de Trojanorum ad Italiam appulsu a Callia Timaeoque vulgatam secutus, suam Alexandram fata Priamidarum canentem, verba memorabilia de consanguinei fatis vaticinantem facit, ejusque adventum cum fabulis graecis ad Italiam pertinentibus conjungit vaticiniisque ornat.

Postea Fabius Pictor, Cincius Alimentus aliique Annales scribunt, et quamquam eos de Aeneae adventu mentionem fecisse conjicere licet, in eorum operum fragmentis Aeneae nomen non invenimus. Naevius autem, qui nobilium et praecipue Metellorum factione Roma pulsus Uticae degit, Punicum bellum scribit, in quo carmine primum Aeneae

nomen legitur. Rem a prima origine repetet, Romae primordia narrabit, quae condita est Trojanorum auxiliis. Quo duce hi venerunt? Nullum nomen nisi Aeneae in promptu est. Ille enim praeter Helenum, vatem vel a Graecis captum vel transfugam, solus e regia superest. Ille enim imperii Priamidarum heres jam in Iliade celebratus est. Quo duce nisi Aenea Trojani ad Italiam pervenire potuerant? Sic ejus nomen in fabulam inductum, auribus animisque Romanorum propositum et in perpetuum fabulae insertum est. Sic igitur fabula de Trojana Romanorum origine sensim fabula de Aenea facta esse mihi videtur.

Si quae legimus apud Krause pg. 73, de Penatibus, ab Ascanio Albam translatis sed suam pristinam sedem Lavinii recipientibus, ab auctore Originis gentis Romanae jure L. Cincio Alimento ascripta sunt, patet fabulam de Aenea, Penates e Troja secum ducente, eodem fere tempore natam esse. Haec tamen e rerum natura inter se cohaerent; nam si quis patria sua relicta novam sedem quaerit, secum sacra domestica transfert, inprimis quum, ut Aeneas, e patria ab hostibus obsessa evadit. Quod deinde sedes Penatum Lavinium habetur, nusquam nisi hic Penates suos Aeneas deponere potuit.

Aeneae nomen post, magis magisque fabulis domesticis de Latino aliisque intextum invenimus, quantumque eum Romani admirati sint, fabula óstendit, qua narratur eum post proelium cum Turno nusquam comparuisse. Hoc certe fabulae culmen fuisset nisi Julius Caesar Aeneam auctorem sui generis sibi vindicasset, fataque huic ejusque generi eximium splendidissimumque locum parassent. Ille enim primus Juliorum hac origine gloriatus est, quum quaestor in laudatione funebri Juliae

amitae dixit (cf. Suet. Jul. 6) „Amitae meae Juliae maternum genus ab regibus ortum, paternum cum diis immortalibus conjunctum est .... a Venere Julii cujus gentis familia est nostra", qui etiam (cf. Serv. Aen. I, 276: „occiso Mezentio Ascanium, sicut J. Caesar scribit, Julum coeptum vocari") hujus nominis mutationis auctor esse videtur. Cum Caesaris gloria Aeneae majestas crevit. Quamquam Caelium de hac origine subridere videmus; cf. Cic. Ep. ad Fam. VIII, 15. 4: „vellem quidem Venere prognatus tantum animi habuisset in vestro Domitio quantum Psecade natus in hoc habuit", et Suetonius, Jul. 49, Ciceronis opinionem hac de re tradit, scripsit tamen Varro (cf. Serv. ad Aen. I. 382): „Ex quo de Troja egressus est Aeneas, Veneris eum per diem cotidie stellam vidisse, donec ad agrum Laurentum veniret in quo eam non vidit ulterius, qua re et terras cognovit fatales", et (cf. August. C.D. XVIII, 19) „Sed Aeneam, quoniam, quando mortuus est non comparuit Deum sibi fecerunt Latini", quae verba fabulae antea incognita ornamenta produnt.

Quum tamen Cicero ipse, etiamsi rogavit N. D. I, 38: „Quo quid absurdius quam aut res sordidas atque deformes, Deorum honore afficere aut homines, jam morte deletos, reponere in Deos, quorum omnis cultus esset futurus in luctu?", tamen, ubi mortem Tulliae suae luget, scribat ad Atticum, Ep. XII, 36: „Fanum fieri volo; neque hoc mihi erui potest. Sepulcri similitudinem effugere non tam propter poenam studeo, quam ut maxime assequar *ἀποθέωσιν*", quum denique legamus apud Dionem, XLIII, 14 et XLIV, 6, de honoribus divinis quos populus Romanus Julio Caesari tribuere voluit, his, inquam, testimoniis consideratis Aeneam in deorum numerum relatum non amplius miramur.

Omnia haec tradita, ficta, vera vel credita vel non credita sunt quum Octavianus Antonio devicto mox triumvirorum solus superstes, ad altiora tendens, animos civium sibi conciliare suamque potestatem confirmare conatur. Modo audacter modo verecundiam praetendens semper prudenter cauteque propositum tenet, omnique ope atque opera enititur ut sua potestas omnibus non solum approbetur sed ab omnibus exposcatur etiam, confidens se patriam discordiis principum exhaustam in integrum restituere, seque cives, jamdudum bellis civilibus inter spem metumque versantes, quorum alii luxuria, alii egestate sunt depravati, ad prosperitatem adducere posse. Haec ut perpetret nil inexpertum relinquit, sibi homines ad propositum peragendum aptos assumit interque eos poëtas, qui carminibus jam multorum animos in se converterant. Sic Horatium ejus voluntati obsequentem, lyramque suam cogentem, ut cantet antiquorum morum, deorum cultus, matrimonii, temperantiae, castitatis denique laudem querelas effundere videmus, quod non omnia quae Augustus optet, verbis exsequi possit. Cf. Ep. II, 1, 250: „Nec sermones ego mallem Repentes per humum quam res componere gestas.... Si quantum cuperem possem quoque, sed neque parvum Carmen majestas recepit tua, nec meus audet Rem temptare pudor quam vires ferre recusent". Haec tamen Vergilio jam prosperius successerant, qui in Aeneide opus perfecerat, quod nisi ab Augusto esset probatum, poeta mortuo certe Varius Tuccaque non edidissent.

Ut perspiciamus quo modo hic Aeneiam fabulam tradiderit, in memoriam fabulae argumentum breviter revocandum erit.

Aeneas Troja deleta ad Idam profectus, deinde Thraciam

vel Macedoniam, Arcadiam fortasse petivit cum Penatibus, patre, filio comitibusque ad Italiam appulit, ubi Juliorum generis auctor, Latino agri Laurenti rege occisso, in proelio cum Turno nusquam comparuit, quam ob causam in deorum numerum relatus est. Haec praeter ejus mortem et ἀποθέωσιν argumenta quoque Aeneidis sunt, quibus poeta multas alias fabulas, partim ad Aeneae comites spectantes partim alienas, conjunxit. Fabulam de Aenea Vergilius narravit hoc modo: Juno Aeneam odit, non quia erga se peccavit, sed quia ut ejus posteri Romam, Carthaginis perniciem, conderent fatis constitutum erat. Undis tempestatibusque jactatum Aeneam carminis initio a Sicilia Carthaginem adductum videmus, ubi Dido reginae suum calamitosum iter Trojaeque excidium narrat. Hac itineris mora poeta ita utitur ut Aeneam ad loca fabulis antiquis celebria adducat. Quum iter suum pergere coactus est, Dido amore capta eum exsecratur, sibi necem consciscit. Iterum ad Siciliam pervenit et ab Aceste acceptus, ludos in Anchisae honorem instituit, quibus ludum Trojae adjungit. Inde Cumas petit Sibyllaeque consilio motus in Orcum descendit ut patrem videat, ubi una cum heroibus mortuis Graecorum, viros Romanos aliquando claros futuros aspicit. Deinde rursus altum petit et per Cajetam ad Tiberis ostia appellit. Aeneas mensis a comitibus comsumptis se fatalem terram attigisse sentit legatosque ad Latinum mittit, qui sua sponte filiam suam Laviniam ei uxorem despondet, quae sponsio causa est belli inter Aeneam et Turnum, Laviniae sponsum, cui Latini ob cervum vulneratum duce Tyrrho multique alii reges auxiliantur. Ille autem Tiberini Dei monitu sibi socios parat et sue alba cum triginta porculis inventa Evandrum adit, qui ei Romae regionem ostendit,

Pallantem cum copiis in ejus fidem committit suadetque ut auxilium Tyrrhenorum petat. Venus filio suo arma, a Vulcano confecta, affert. Eo absente Rutuli sociique Turno duce castra Trojana urgent, sed Tyrrhenorum auxilio impetrato ea obsidione Aeneas liberat, Mezentiumque, regem a Caeritibus expulsum, occidit. Post varios casus sua castra ad urbem Laurentum, ad quam Turnus confugit, admovet. Turnus Aeneasque manus conserere optant; Latinus frustra illum retinere conatur et iam cum Aenea foedus firmat conditionesque constituit. Latini in Trojanos impetum facturi ab Aenea sedantur, qui tamen vulneratur. Veneris ope autem refectus in pugnam redit, urbem oppugnat. Egreditur Turnus. Proelio commisso Turnus ab Aenea occiditur, cui deinceps Laviniam uxorem ducere Laviniumque condere licet.

Hoc quam brevissime narratum Aeneidos argumentem est, quod multis aliis deorum hominumque fabulis, rerum gestarum, sacrorum, ludorum pugnarumque narrationibus, regionum, locorum, tempestatumque descriptionibus intextum invenimus. E paucis exilibusque priorum argumentis poeta profecto copiosam ornatissimamque narrationem composuit.

Ipsam fabulam de Aenea non mutavit, at tradita extendit ornavitque, nova addidit. Inter addita totius Aeneae itineris ab Aeno usque ad Carthiginem descriptionem, ejus moram Carthagine, ludos in Anchisae honorem partesque, quae eum in Orcum descendentem, Evandrum visentem, armis a Venere datis ornatum fingunt, reperimus. Inter ornata omnia ejus colloquia, commemorationem et ejus et Turni sociorum, totam belli descriptionem invenimus. Inter mutata Anchisem apud Drepanum sepultum, Latinum neutri

vel Macedoniam, Arcadiam fortasse petivit cum Penatibus, patre, filio comitibusque ad Italiam appulit, ubi Juliorum generis auctor, Latino agri Laurenti rege occisso, in proelio cum Turno nusquam comparuit, quam ob causam in deorum numerum relatus est. Haec praeter ejus mortem et ἀποθέωσιν argumenta quoque Aeneidis sunt, quibus poeta multas alias fabulas, partim ad Aeneae comites spectantes partim alienas, conjunxit. Fabulam de Aenea Vergilius narravit hoc modo: Juno Aeneam odit, non quia erga se peccavit, sed quia ut ejus posteri Romam, Carthaginis perniciem, conderent fatis constitutum erat. Undis tempestatibusque jactatum Aeneam carminis initio a Sicilia Carthaginem adductum videmus, ubi Dido reginae suum calamitosum iter Trojaeque excidium narrat. Hac itineris mora poeta ita utitur ut Aeneam ad loca fabulis antiquis celebria adducat. Quum iter suum pergere coactus est, Dido amore capta eum exsecratur, sibi necem consciscit. Iterum ad Siciliam pervenit et ab Aceste acceptus, ludos in Anchisae honorem instituit, quibus ludum Trojae adjungit. Inde Cumas petit Sibyllaeque consilio motus in Orcum descendit ut patrem videat, ubi una cum heroibus mortuis Graecorum, viros Romanos aliquando claros futuros aspicit. Deinde rursus altum petit et per Cajetam ad Tiberis ostia appellit. Aeneas mensis a comitibus comsumptis se fatalem terram attigisse sentit legatosque ad Latinum mittit, qui sua sponte filiam suam Laviniam ei uxorem despondet, quae sponsio causa est belli inter Aeneam et Turnum, Laviniae sponsum, cui Latini ob cervum vulneratum duce Tyrrho multique alii reges auxiliantur. Ille autem Tiberini Dei monitu sibi socios parat et sue alba cum triginta porculis inventa Evandrum adit, qui ei Romae regionem ostendit,

Pallantem cum copiis in ejus fidem committit suadetque ut auxilium Tyrrhenorum petat. Venus filio suo arma, a Vulcano confecta, affert. Eo absente Rutuli sociique Turno duce castra Trojana urgent, sed Tyrrhenorum auxilio impetrato ea obsidione Aeneas liberat, Mezentiumque, regem a Caeritibus expulsum, occidit. Post varios casus sua castra ad urbem Laurentum, ad quam Turnus confugit, admovet. Turnus Aeneasque manus conserere optant; Latinus frustra illum retinere conatur et iam cum Aenea foedus firmat conditionesque constituit. Latini in Trojanos impetum facturi ab Aenea sedantur, qui tamen vulneratur. Veneris ope autem refectus in pugnam redit, urbem oppugnat. Egreditur Turnus. Proelio commisso Turnus ab Aenea occiditur, cui deinceps Laviniam uxorem ducere Laviniumque condere licet.

Hoc quam brevissime narratum Aeneidos argumentem est, quod multis aliis deorum hominumque fabulis, rerum gestarum, sacrorum, ludorum pugnarumque narrationibus, regionum, locorum, tempestatumque descriptionibus intextum invenimus. E paucis exilibusque priorum argumentis poeta profecto copiosam ornatissimamque narrationem composuit.

Ipsam fabulam de Aenea non mutavit, at tradita extendit ornavitque, nova addidit. Inter addita totius Aeneae itineris ab Aeno usque ad Carthiginem descriptionem, ejus moram Carthagine, ludos in Anchisae honorem partesque, quae eum in Orcum descendentem, Evandrum visentem, armis a Venere datis ornatum fingunt, reperimus. Inter ornata omnia ejus colloquia, commemorationem et ejus et Turni sociorum, totam belli descriptionem invenimus. Inter mutata Anchisem apud Drepanum sepultum, Latinum neutri

parti faventem, belli expertem, Mezentio Turnoque superstitem, Mezentium mox in pugna cadentem, Turnum ab Aenea occisum, Aeneam his superstitem, Lavinii conditorem deprehendimus.

Etsi autem in Vergilii carmine fabulam omnibus partibus elaboratam invenimus, tamen alia quaedam ornamenta commemorantur a Dionysio, veluti I, 55, fontes apud Laurentum sua sponte e terra prosilientes; I, 56, sus, quae e sacerdotum manibus proripiens, in sterilem collem ferme stadiis viginti quatuor a mari distantem fugit, quam ob rem Aeneas, dubius adhuc, vel voce quadam, e nemore sonanti, vel in somnio forma cujusdam dei patrii monitus est ibi urbem condere; I, 59 ignis in nemore, quum Lavinium aedificari coeperant, a lupo aquilaque excitatus, quem vulpes exstinguere conatur, et Palladium ab Aenea servatum, cf. Paus. II, 23, 5: „τὰ μὲν δὴ Παλλάδιον .... δῆλόν ἐστιν ἐς Ἰταλίαν κομισθὲν ὑπὸ Αἰνείου," quibus ornamentis Vergilius non usus est.

Fabulae autem historiam persequentes jam videmus (Tac. Ann. VI, 43) Tiberium Segestanos Veneris aedem in Eryce restituentes ut consanguineum adjuvare. Suetonius (Claud. 25) narrat: „(Claudius) Iliensibus, quasi Romanae gentis auctoribus, tributa in perpetuum remisit, recitata vetere epistula Graeca senatus populique Romani, Seleuco regi amicitiam et societatem ita demum pollicentis, si consanguineos suos Ilienses ab omni onere immunes praestitit". Idem commemorat carmen distichum in Neronem: „Quis negat Aeneae magna de stirpe Neronem? Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem." Tacitus de Drusi exsequiis scribit (Ann. IV, 9) „funus imaginum pompa maxime illustre fuit, cum origo Juliae gentis

Aeneas omnesque Albanorum reges et conditor urbis Romulus, post Sabina nobilitas ceteraeque Claudiorum effigies longo ordine spectarentur", et de Nerone (Ann. XII, 58) „Nero, ... causa Iliensium suscepta Romanum Troja demissum et Juliae stirpis auctorem Aeneam aliaque haud procul fabulis facunde exsecutus perpetrat ut omni publico munere solverentur."

Quae omnia docent Julios origine Aeneae gloriari non omisisse, sed his exstinctis fabulam quoque exstinctam esse.

His fabulae testimoniis cum temporibus, quibus crevit et evanuit, comparatis nemo non videt fabulam Aeneïam justo jure Juliorum fabulam dici posse, qui, sibi Aeneam progenitorem vindicantes, in ejus honoris amplificatione et sui generis gloriam et suam quaesiverunt.

Cum hac opinione viri docti consentiunt. Müller autem et Klausen, qui Aeneam praecipue per Cumas Sibyllinis libris Romam advectum, Bamberger, Schwegler, Preller et Hild, qui eum per Ardeam Laviniumque Aphroditae cultu eo transductum, Rubino, qui Iliadis Athenae cultum quoque adhibet, omnes denique, qui eum priscis temporibus in Italia aliquo honore vel cultu affectum dicunt oleum et operam perdere mihi videntur. Nomina antiquitatem redolentia, Lavinium, Numicius, Penates, Indiges aliaque eos perduxerunt ut mera posterioris temporis figmenta, quae diversi temporis homines Aeneae indiderunt, pro rebus veris prisci temporis haberent. Vergilii Dionysiique testimonia suarum inquisitionum fundamunta facientes, deinde ea antiquioribus recentioribusque testibus ornantes, nonnunquam Lycophronem et Tzetzam, tabulam Iliacam et Suetonium, Catonis Origines et Servium Paulumque aequa fiducia citantes, ex his Aeneiae fabulae historiam conflarunt.

Exemplum edam. Aeneas Jupiter, Divus Pater, Pater Deus Indiges dictus est, cf. Klausen pg. 901, 905, 906; Schwegler I, pg. 325, 328; Preller I, 94, II, 321; Hild pg. 146, quam ob causam eum Lavinii cultui inseruerunt.

Quis autem primus Indiges cum Aenea conjunxit? Tibullus Eleg. II, 5, 44. Deinde haec nomina conjuncta invenimus apud Verg. Aen. XII, 794; Ovid. Met, XIV, 608; Dion. I, 64; Liv. I, 2, 6; Gel. II, 16, 9; Arnob. I, 36; Serv. Aen. I, 259, IV, 620, XII, 794; Schol. Veron. Aen. I, 260, p. 83, 31 Keil, (cf. in notis Schwegler pg. 288; Klausen p. 901); hi omnes profecto testes sunt recentiores quam ut priscas Italiae res a Juliorum figmentis puras nos tradere potuissent. Hos igitur majore jure auctores hujus fabulae amplificationis habendos censeo. Satius enim mihi videtur contendere hoc nomen Aeneae attributum esse eodem fere tempore, quo Senatus P. R. ejus progeniem i. e. Caesarem, decem annorum dictatorem dixit, trium annorum censorem creavit ejusque statuam in terrae orbe stantem, inscriptione „Semideo" ornatam erigere decrevit, quam ut, quum Tibullus primus Aeneam „Indigetem" vocaverit, eum ob hujus nominis additamentum Latinorum vel antiquorum Romanorum quendam deum fuisse, contendamus.

Variis argumentis in unum redactis Aeneiae fabulae historia hoc modo narranda mihi videtur. Nonnullae Romanorum gentes nobilissimae sibi originem Trojanam jam ante bella Punica vindicaverunt, quae vindicatio fundamentum erat in quod, ut in stirpem surculus, postea Aeneia fabula inserta est, vel, ut certissima referamus, Sicilienses scriptores necessitudinem quandam inter Trojanos Romanosque finxerunt. In terra peregrina quoque

prima figmenti vestigia invenimus, quae hanc conjunctionem a consanguineo Cassandrae, vaticinantis filiae Priami, peractam narraverunt, quae Naevius nomine Aeneae addito vernacula lingua in Italiam introduxit. Deinde Aeneas, qui e rerum natura suos Penates secum Troja adduxit, eadem ratione mox et cum Lavinio, sede Penatum Romanorum, et cum priscorum temporum rebus gestis conjunctus est. Post varios casus, varie traditos, post proelium cum Turno dictus est nusquam comparuisse. Julii autem eum, Ascanii, i. e. Juli patrem, progenitorem sui generis vindicabant. Jam in eorum honorem incrementum fabula cepit, quod ei inter alias tam eximium locum paravit. Aeneas dictus est deus, et ingenium Vergilii, impulsu Augusti excitatum, antiqua tradita collegit, ordinavit, mutavit, ornavit. Qui dux Trojanorum erat Catoni, ab illo semideus factus est. Qui secundum hunc Latinorum hostis agro Laurento potitus erat, secundum Vergilium nomini Latino pepercit, non sibi Latium subjecit sed a rege ipso, qui statim ei suam filiam, Laviniam, uxorem spopondit, exceptus est. Penatibus suis locum dignum tantummodo petivit. Lavinium condit, itaque auctor cultus, qui omnibus Romanis sacerrimus erat, factus est. Sed plura poeta confecit.

Aeneae iter a Troja usque ad Tiberis ostia composuit. Toto itineris tractu inter Aenum et Siciliam, quem antiquiores scriptores non curaverant, usus est ut adduceret Aeneam ad loca antiquissimis fabulis rebusque actis memorabilia. Eum depinxit descendentem in Orcum ubi antiquos Graecorum, futuros Romanorum viros fortissimos adspicit, i. e. Aeneam antiqui hujusque temporis novi mundi intercessorem, auxilium petentem ab Evandro, Palatini rege, i. e. Aeneam loca visentem, in quibus post multos annos

Roma condetur, ducem Tyrrhenorum, qui Mezentium, contemptorem illum deorum, expulerant i. e. Aeneam ab iis exceptum, qui diutissime hostes populi Romani fuerant, iisque praesidentem, et Iliadis versus: „νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει καὶ παίδων παῖδες τοί κεν μετόπισθε γένωνται" levi mutatione vertens: „Hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris Et nati natorum et qui nascentur ab illis" vaticinationem Trojanam ad Aeneadas spectantem, ad Augustum convertit eumque mundi imperatorem aequalium oculis proposuit.

Haec partim tradita partim a Vergilio ficta fere decem annis post a Dionysio quoque narrata sunt. Hic tamen Aeneam cum Aphrodite ejusque cultu conjungit, res in Latio actas alio modo tradit affirmatque Latinos in honorem Aeneae sacellum condidisse, quod Vergilius tumulum non magnum, arboribus speciosis circumdatum dicit, quod alii tamen ab Aenea in Anchisae honorem exstructum dicebant. Sic fabulam rursus e carmine in rerum gestarum descriptionem translatam eoque modo saltem nova veritatis specie indutam comperimus.

Quamquam deinde Aeneae Trojanorumque adventum in Italiam a posterioribus scriptoribus, a Livio, Trogo Pompeio, Strabone, Appiano, Pausania, Dione Cassio, Diodoro Siculo vel fusius vel brevius repetitum scimus, fabulae gloriam tamen simul cum Juliorum stirpis gloria evanescere videmus. Sic manifestum est fabulam maxima ex parte in Juliorum honorem excultam esse.

Si praeterea reputamus Aeneam primum a Tibullo „Indigetem" vocatum, a Varrone in deorum numerum redactum, a prioribus scriptoribus semper sine ullo additamento, quod majorem honorem prodit, ducem Trojanorum dictum

esse, Dionysium primum solumque ejus sacellum vel Anchisae, ab eo exstructum, apud Numicium ejusque in honorem sacrificia et festos dies commemorasse, miramur certe viros doctos ad Aeneam priscis Romanorum temporibus inserendum operam impendisse. Si consideramus Aeneam, Troja migrantem ad Italiam, e rerum natura et vulgari opinione Penates suos secum duxisse eademque ratione per hominum figmenta cum Lavinio, sede Penatum Romanorum, conjunctum esse, miramur viros doctos credidisse ei revera cum antiqua urbe Lavinio quidquam commune fuisse.

Hujusmodi figmenta ex figmentis nata caute vitanda sunt, quia constat Naevium omnium primum Aeneam ad Italiam appulsum narrasse, quod nomen deinde in res actas priscorum temporum, tandem Juliis auctoribus a poetis aliisque scriptoribus inter deorum nomina receptum est.

II.

Fabula de Aenea in Latio sedem quaerente.

Supra jam ostendi Naevium primum nomen Aeneae duci Trojanorum addidisse. Servius eum narrasse tradit (Aen. I, 170) „novam tamen rem Naevius dicit, unam navem habuisse Aeneam, quam Mercurius fecerit". Ad Aen. I, 198—207 annotat „totus hic locus ex B. P. translatus est", ad Aen. I, 273: „Naevius et Ennius Aeneae ex filia nepotem Romulum conditorem urbis tradunt." Quae fragmenta docent Aeneam secundum Naevium Troja ad Italicas oras migrasse, sed etiam eum res in Latio gestas alio modo quam Vergilium descripsisse.

Praeterea ex Annalibus Ennii verba, a Prisciano, VII, 12, servata, invenimus haec: „quos homines quondam Laurentis terra recepit", („Cum veter occubuit Priamus sub marte Pelasgo").

Multo uberiora Origines M. Porcii Catonis nobis offerunt, quae hic describere libet. „Trojam autem dici quam primam fecit Aeneas", (Serv. Aen. I, 5) „Sciendum civitatem quam primam fecit Aeneas Trojam dictam" (Id.

Aen. VII. 158) „Cato enim dicit Trojanos a Latino accepisse agrum, qui est inter Laurentum et castra Trojana. Hic etiam modum agri commemorat et dicit eum habuisse jugera IIDCC [vel DCC]" (Id. Aen. XI, 316) „Aeneam cum patre ad Italiam venisse et propter invasos agros contra Latinum Turnumque pugnasse, in quo proelio periit Latinus. Turnum postea ad Mezentium confugisse ejusque fretum auxilio bella renovasse, quibus Aeneas Turnusque pariter rapti sunt. Migrasse postea in Ascanium et Mezentium bella, sed eos singulari certamine dimicasse" (Id. Aen. I, 267).

„Cato dicit juxta Laurolavinium quum Aeneae socii praedas agerent proelium commissum, in quo Latinus occisus est. Fugit Turnus et Mezentii auxilio comparato renovavit proelium, quo victus quidem est ab Aenea. Aeneas autem in ipso proelio non comparuit, Ascanius vero postea Mezentium interemit" (Id. Aen. IV, 620).

„Aeneas simulac venit ad Italiam Lavinium accepit uxorem, propter quod Turnus iratus tam in Latinum quam in Aeneam bella suscepit a Mezentio impetratis auxiliis", (Id. Aen. VI, 760).

„Si veritatem historiae requiris, primo proelio interemtus Latinus est in arce (acie), inde ubi Turnus Aeneam vidit superiorem Mezentii imploravit auxilium. Secundo proelio Turnus occisus est et nihilominus Aeneas postea non comparuit: Tertio proelio Mezentium occidit Ascanius", (Id. Aen. IX, 742, cf. VI, 760, IV, 620).

„Cato hoc dicit, primo Italiam tenuisse quosdam, qui appellabantur Aborigines. Hos postea adventu Aeneae Phrygibus junctos Latinos uno nomine nuncupatos", (Id. Aen. I, 6).

L. Cassius Hemina aequalis Catonis in suis annalibus

secundum Solinum, II, 14, scripserat: „Nec omissum sit, Aeneam aestate ab Ilio capto secunda Italicis littoribus appulsum, sociis non amplius sexcentis, in agro Laurenti posuisse castra, ubi dum simulacrum, quod secum ex Sicilia adduxerat, dedicat Veneri matri, quae Ἀφροδίτη dicitur, a Diomede Palladium suscepit, tribusque mox annis cum Latino regnavit socia potestate, quingentis jugeris ab eo acceptis."

Lutatius Catulus libro III Communis Historiae narraverat (cf. Krause pg. 319): „Latinum pariter cum Aenea progressum, inter proeliantes circumventum occisumque. Nec tamen amisso socero Aeneas Rutulis obsistere desiit, namque et Turnum interemit. Hostibus fusis fugatisque victor Lavinium se cum suis recepit consensuque omnium Latinorum rex declaratus est."

M. Terentius Varro secundum Augustinum, C. D. XVIII, 16, tradidit: „Troja eversa regnavit jam Latinus, Fauni filius, ex quo Latinorum regnum dici coepit Laurentumque cessavit."

„Eo tempore post captam Trojam atque deletam Aeneas cum viginti navibus, quibus portabantur reliquiae Trojanorum in Italiam venit, regnante ibi Latino et apud Athenienses Mnestheo, apud Sicanos Polyphide. Mortuo autem Latino regnavit Aeneas tribus annis, quum jam Sicyonornm rex erat Pelasgus. Sed Aeneam, quoniam, quando mortuus est, non comparuit Deum sibi fecerunt Latini .... Tum memorat quartum Latinorum regem Silvium, Aeneae filium, uon de Creiisa, de qua fuit Ascanius, qui tertius ibi regnavit, sed de Lavinia, Latini filia, quem posthumum Aeneas dicitur habuisse". (C. D. XVIII, 19).

„Varro in secundo Rerum Divinarum dicit: „Ex quo de

Troja egressus est Aeneas, Veneris eum per diem cotidie stellam vidisse, donec ad agrum Laurentum veniret in quo eam non vidit ulterius, qua re et terras cognovit esse fatales", (Serv. Aen. I, 382).

Dionysius Halicarnassensis Antiquitatum libro I, cp. 49—53, Aeneae iter Troja ad Latium narrat. Postea, a cap. 54 usque ad cap. 63 i. f., objectiones refutat, prodigia aliaque commemorat et deinde historiam, quam cap. 45 reliquit, narrare pergit usque ad finem cap. 65. E quibus memorabilia mihi videntur haec: Aeneas anno secundo post Ilium captum expleto Lavinium condit et anno primo Trojanorum rex est. Post hunc annum defuncti jam Latini regno potitus est, „ἐπικλήρου τῆς Λαουϊνίας γενομένης μετὰ τὸν Λατίνου θάνατον καὶ τοῦ πρὸς ἀστυγείτονας πολέμου τῆς στρατηγίας ἕνεκα." Deinde Rutulorum seditionem non primam, ductu Turni, transfugae, consobrini Amatae, commemorat, quam propter Laviniae cum Aenea nuptias commovisset eumque cum militibus, quibus praeesset, Rutulis se adjunxisse tradit. Proelio commisso, Latinus, Turnus multique alii ceciderunt. Anno quarto post Rutuli renovant bellum et cum iis Mezentius, rex Tyrrhenorum. Pugna noctis interventu finita Aeneas nusquam comparuit, et alii eum ad deos migrasse, alii flumine, juxta quod pugnatum esset, demersum dicebant, Latini autem ei sacellum dedicaverunt hac inscriptione ornatum: „Patri Deo Indigeti, qui Numicii amnis undas temperat." Haec anno septimo post Ilium captum facta sunt. Tandem Ascanius, antea Euryleon appellatus, regno potitus est, a Mezentio autem Lavinii cum Trojanis obsessus, jam se in fidem et potestatem victoris permissuri sunt, quum, conditionibus duris cohibiti, animum recipiunt; ex

urbe erumpunt, copias Lausi, filii Mezentii, profligant, ipsum cum multis occidunt et Mezentium ut pacem petat cogunt. Foedere icto Mezentius cum suis copiis Latium reliquit et omnibus simultatibus depositis in Latinorum amicitia constanter mansit.

Livius operis sui initio Aeneae adventum et res in Latio gestas tradit modo saepe ab aliis discrepante. Sic dubitat utrum Latinus proelio coactus, an admiratione impletus Aeneam in hospitio acceperit. Turnus, rex Rutulorum, propter Laviniam Aeneae Latinoque bellum infert. Latinus occisus est. Turnus cum Rutulis ad Mezentium, Etruscorum regem, qui Caere, imperitat, confugit. Aeneam aggrediuntur, acie confligunt, quod proelium Aeneae ultimum mortalium operum fuit. Situs est, quemcunque eum dici jus fasque est, super Numicium fluvium, Jovem Indigetem appellant. Ascanius, nondum annis maturus, in Laviniae tutelam pervenit. Affirmat autem Livius se nescire utrum hic Ascanius, Laviniae filius sit an major, quam hic, Creüsa natus comesque inde paternae fugae, quem, Julum eundem, Julia gens auctorem nominis sui nuncupet, — narrat tamen hunc Ascanium Lavinium Laviniae reliquisse, deinde Albam Longam condidisse.

Apud Serv. ad Aen. XI, 316, haec leguntur: „hoc loco Donatus erravit dicens agrum, quem Latinus donare se disponit, esse in Campania juxta Ufentem fluvium, cujus terras vicinas Tusci aliquando tenuerunt, ut inde dictum sit: „Tusco mihi proximus amni." Agit etiam hoc argumento, quod illic est locus, qui hodie Pinetum vocatur. Sed constat illa loca omnia esse campestria, nec procedit, quod dicitur: „Celsi plaga pinea montis".... unde se-

quenda est potius Livii, Sisennae et Catonis auctoritas."

His insignissimis testimoniis de Aeneae ad Latium appulsu deque rebus ibi actis congestis ad eorum comparationem transeamus.

Iter Aeneam fecisse nave una Naevius, viginti navibus Varro narrat; cum patre Anchisa Cato Dionysiusque, quod aliorum nemo negat; cum Ascanio, Creüsae filio, secundum Catonem, Varronem, Dionysium, quem Livius solus, haesitans tamen, natum e Lavinia dicit.

Civitatem, quam primam fecit Aeneas Trojam dictam Cato, Dionysius, Livius commemorant, cui civitati Cassius Hemina solus non locum assignare videtur, sed facile potuit fieri ut breviter narrans omitteret quae inter adventum et tempus quo Lavinium conditum est intersunt.

Aeneam appulisse anno secundo post Trojam expugnatam Cassius memorat et Dionysius cf. I, 63: „*λαβόντες δὲ χωρίον, οἰκίζουσιν ἐν αὐτῷ Λαουΐνιον, τὸν δεύτερον ἀπὸ τῆς ἁλώσεως ἐκπληρώσαντες ἐνιαυτόν.*" Reliqui de anno tacent.

Latinum dedisse jugera DCC, agrum qui est inter Laurentum et castra Trojana, Cato narrat; Cassius Hemina: „quingentis jugeris ab eo acceptis", Dion. I, 53: „*καὶ τὸ χωρίον, ἐν ᾧ κατεστρατοπεδεύσαντο ἐξ ἐκείνων Τροία καλεῖτο, ἀπέχει δὲ τῆς θαλάττης ἀμφὶ τοὺς τέτταρας σταδίους*", I, 45: „*κατέσχον εἰς Λωρεντὸν, οὐ πρόσω τῶν ἐμβολῶν τοῦ Τιβέριος· λαβόντες δὲ παρὰ τῶν Ἀβοριγίνων χωρίον εἰς οἴκησιν καὶ ὅσα ἠξίουν, πολίζονται μικρὸν ἀποσχόντες ἀπὸ θαλάττης ἐπὶ λόφῳ τινὶ, Λαουΐνιον ὄνομα τῇ πόλει θέμενοι*", et pacis conditiones referrens I, 59: „Ἀβοριγῖνας μὲν Τρῶσι δοῦναι χώραν, ὅσην ἠξίουν, ἀμφὶ τοὺς τεττεράκοντα σταδίους πανταχοῦ πορευομένοις ἀπὸ τοῦ λόφου", Strabo scripsit V, 3, 2: „*Φασὶ δὲ Αἰνείαν μετὰ τοῦ πατρὸς Ἀγχίσου καὶ τοῦ παιδὸς Ἀσκανίου, κατάραντας εἰς Λαύ-*

ρεντον πλησίον τῶν Ὠστίων καὶ τοῦ Τιβέριος ἠϊόνος, μίκρον ὑπὲρ τῆς θαλάσσης ὅσον ἐν τέτταρσι καὶ εἴκοσι σταδίοις κτίσαι πόλιν", et ibidem postea: „νικήσαντα (Αἰνείαν) δ' ἀπὸ τῆς θυγατρὸς Λαουϊνίας ἐπώνυμον κτίσαι πλησίον πόλιν", quibus locis adjicienda est Donati sententia apud Serv. ad Aen. XI, 316: „agrum quem Latinus donare se disponit esse in Campania, juxta Ufentem fluvium."

De his narrationibus nonnulla sunt observanda. Cassius et Cato de jugerum numero dissentiunt, non tamen loci, ubi castra Trojana fuerant, mentionem faciunt. Dionysius eadem: „οὐ πρόσω τῶν ἐμβολῶν τοῦ Τιβέριος", Strabo „εἰς Λαύρεντον πλησίον τῶν Ὠστίων καὶ τοῦ Τιβέριος ἠΐονος" dicunt. Regio tamen inter Tiberis ostium et Laurentum, Latini sedem, neque DCC neque D jugera continet. Regio illa in longitudinem decem millia passuum habet, at D vel DCC jugera duodecim vel septendecim fere millia in latitudinem poscunt. Cato autem hunc agrum inter castra Trojana et Laurentum posuit. Lavinium praeterea, quae urbs in hoc agro condita, ad partem meridionalem Laurenti situm est, quod verbis Catonis repugnat, nisi concedimus eum sibi castra Trojana non ad Tiberis ostium sed circa Ardeam finxisse. Hisce adjectis quae Strabo V, 3, 5 commemorat: „ἔστι δὲ καὶ ταύτης (Ἀρδέας) πλησίον Ἀφροδίσιον, ὅπου πανηγυρίξουσι Λατῖνοι" et Cassius: „castra, ubi dum simulacrum, quod secum e Sicilia advexerat dedicat Veneri matri, quae Ἀφροδίτη dicitur", non falli mihi videor, si conjicio duas fabulas de loco quo Aeneas appulisset extitisse, quarum altera prope Tiberis ostium littora, altera, eaque fortasse antiquior, regionem prope Ardeam indicavit.

Transeuntes ad disquisitionem rerum in Latio gestarum post Aeneae adventum, narrationes valde confusas offendi-

mus. Aeneas et Ascanius, Latinus Laurenti rex, Amata ejus uxor et Lavinia eorum filia, Turnus Mezentiusque personae sunt.

Cato, secundum Servium, jam discrepantes fabulas narravit, quum scripsit ad Aen. I, 267, IV, 620: „Aeneam propter invasos agros vel propter praedas actas juxta Laurolavinium contra Latinum et Turnum pugnasse in quo proelio Latinus periit, cett.", sed etiam ad Aen. VI, 760: „Turnum, auxilium a Mezentio impetratum, contra Latinum et Aeneam pugnavisse propter Laviniam uxorem Aeneae datam."

Triplex controversia nos offendit. Causa belli vel invasi agri vel praedae actae sed etiam Lavinia vocatur. Turnus cum Latino contra Aeneam pugnat, sed etiam ille contra Latinum et Aeneam. Turnus Latino occiso cum Mezentio foedus ferit, quod in altera narratione statim contra Latinum Aeneamque facit. Quae controversiae nullo modo solvi possunt. Niebuhr et Jordan Catonis nomen posteriore loco injuria a Servio scriptum esse contendunt, ut plura quoque menda ei sunt tribuenda (e. g. Serv. A. IX, 76 ubi „Livius" evidens menda est), sed optime factum esse potest ut Cato duas varias fabulas traderet, quibus Servius loco sibi apto usus sit.

Dionysius bellum propter Laviniam motum dicit a Turno, qui se Rutulis adjunxerit contra Latinum Aeneamque. In proelio Latinus et Turnus caesi sunt. Rutuli, quum rebellassent duce Mezentio, Tyrrhenorum rege, Aeneae copias profligant. Hic nusquam comparuit et Ascanius ejus successor obsessum Lavinium liberat Mezentiumque foedus facere cogit.

Apud Livium causam belli Laviniam invenimus. Contra Latinum Aeneamque Turnus pugnat. Latinus occisus est.

Turnus autem Mezentio adjuncto bellum renovat et Aeneas proelio commisso nusquam apparuit. De Turno non amplius mentio facta est. Ascanius etiam tum puer postea Albam Longam condidit et cum Mezentio Etruscisque pacis fidem servabat.

Narrationibus hisce collectis iam quem vel quos auctores Vergilius secutus sit perquiramus.

Aen. I, 205, 6: „Tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas Ostendunt; illic fas regna resurgere Trojae", haec Naevium jam cecinisse Servius tradidit.

Sua fata Dido narrans Aeneas dicit, Aen. I, 381—3: „Bis denis Phrygium conscendi navibus aequor.... Vix septem convolsae undis Euroque supersunt" cf. Aen. I, 170 sqq., 192 sqq. Et postea VI, 900: „Ille (Aeneas) viam secat ad naves sociosque revisit", et postridie classe sua ad Latii oras appellit. Non igitur cum una nave iter suscepit, ut Naevius narrat, sed cum pluribus in Latium pervenit; — cum viginti Varronis?

Aen. I, 755, 6: „....Nam te (Aeneam) jam septima portat omnibus errantem terris et fluctibus aestas." Quae verba Didus nos docent duos annos Cassii Dionysiique Virgilio non satisfecisse.

Aen. III, 708: „Hic (Deprani), pelagi tot tempestatibus actus, Heu genitorem, omnis curae casusque levamen Amitto Anchisen". Anchises igitur non ad Latii littora pervenit.

Cum Ascanio advenit. Aen. VII, 107, 8: „Aeneas primique duces et pulcher Julus corpora sub ramis deponunt arboris altae."

Prima castra Troja vocantur. Aen. X, 26, 7: „....Muris iterum imminet hostes Nascentis Trojae....",

Aen. X, 74: „Indignum est Italos Trojam circumdare flammis Nascentem ....", Aen. IX, 644: „Nec te Troja capit." Prope mare ad Tiberim sita sunt. Aen. VII, 303 (Querela Junonis) „.... Optato conduntur Thybridis alveo Securi pelagi atque mei ....", Aen. IX, 469 (pars castrorum): „nam dextera cingitur amni ...." Aen. IX, 69 „Classem, quae lateri castrorum adjuncta latebat, Aggeribus saeptam circum et fluvialibus undis Invadit ....", Aen. IX, 37: „.... Locum insidiis conspeximus ipsi, qui patet in bivio portae, quae proxima ponto."

Latii rex est Latinus, cf. VII, 45, cujus filia Lavinia 70, quam uxorem petit Turnus approbante Amata, Laviniae matre 55—57, Latino recusante, oraculis Fauni monito 102, 3. Ad Latinum Aeneas mittit centum oratores, diis patriis sedem exiguam, sibi littus innocuum undamque auramque patentem petentes. Iis quae petant concedit et Aeneam generum optat, 260, 68.

Turnus, rex Rutulorum VII, 408—13, IX, 327, X, 267, Rutulos armat contra Latinum et Trojanos VII, 467—71. Sed ob cervum vulneratum jam inter Trojanos et Laurentes duce Tyrrho, pastore regio, bellum ortum est, 483—539, quibuscum nunc Turnus se adjunxit 577. Latinus, neutri parti favens, se „in tectis suis saepsit rerumque reliquit habenos" 600. Turnus sibi socios parat inter quos Mezentium et ejus filium Lausum, hunc mille viros ex Agylla (Caere) ducentem 651, illum regem a Caeritibus expulsum, qui ad Turnum confugerat VIII, 478—495.

Aeneas interea auxilium Evandri qui Palantium habitabat Tarchonisque, Etruscorum ducis, invocat VIII, 126, V, 154, 5. Aenea absente Turnus castra aggreditur sed repellitur IX. Aeneas tamen ex Etruria cum copiis redit et

castra Trojanorum obsidione liberat X, 156, 604, 5. Mezentius ab Aenea vulneratur X, 785, sed Lauso caeso in pugnam redit 841, 2, et ab Aenea occiditur 908. Laurentes bello fessi Turno conviciantur et Latinus senatum convocat utque Trojanis ager detur suadet XI, 203 sqq., 320 sqq.. Aeneas cum copiis ad Laurentum procedit XI, 915. Turnus certamen singulare cum Aenea optat XII, 16, 17. Latinus et Aeneas foedus jurejurando firmant, ut si Aeneas a Turno vinceretur Trojani cum Julo ad Evandri sedes migrarent, si verum victor e pugna rediret, Trojanis liceret urbem condere, cui nomen Lavinium daretur, XII, 161—215. Congressi, Turnus ab Aenea occisus est, quae mors est Aeneidos finis.

De castrorum situ Vergilius narrationes Dionysii, Strabonis et partim Catonis secutus est. De factis fortunisque tamen hominum diligentior quaestio instituenda est.

Hic quoque filiam viri cujusdam sponsam invenimus, quae, invita matre a patre advenae cuipiam concessa, partim saltem causa belli fuit.

Aeneae, quum ad littora agri Laurenti appulisset castraque posuisset, ob cervum vulneratum, non a Latino sed a Laurentibus bellum indictum est (ad quam mutationem nulla anteriore narratione perductus est) Turno iis auxiliante propter Laviniam, qui statim, quod omnes praeter Catonem uno loco negant, sibi Mezentium aliosque multos socios adjunxit. Aeneas mox et Lausum et Mezentium occidit, deinde Laurentum obsidione claudens cum Turno singularem pugnam committit, qua Turnus perit. Aeneas igitur et Mezentio et Turno superstes est (qua in re narratio ab omuibus aliis discrepat) tandemque agrum, ut Lavinium condat, accipit.

Turnus, rex Rutulorum, secundum Dionysium eorum rebellantium socius, neque cum Aenea, ut Cato, neque cum Latino, ut Dionysius narrat, moritur, sed post Mezentii mortem ab Aenea caeditur.

Mezentius rex, qui a Caeritibus expulsus ad Turnum confugerat, secundum Dionysius Liviusque rex erat Tyrrhenorum vel Etruscorum. Jam a belli initio Turni socius est, quod nisi una Catonis narratione non probatur, quum altera Liviusque eum post primam Rutulorum cladem, Dionysius post Turni mortem Rutulorum socium, Aeneae hostem dicunt. Ille deorum contemptor, ab Aenea caesus, primus omnium de scena discedit, quum Cato eum Latino, Turno, Aeneaeque superstitem, ab Ascanio tandem occisum, Dionysius eum post cladem cum Ascanio Latinisque foedus ferientem, Livius eum Turni socium, qui post Aeneae mortem nunquam arma movere ausus sit, narrant.

Anchises, quem Cato Dionysiusque ad Italiam venisse tradunt, jam apud Depranum sepultus est.

Ascanius denique, „cui" (Aen. I, 268) „nunc cognomen Julo additur (Ilus erat dum res stetit Ilia regno)", secundum Dionysium ante urbem captam Euryleon vocatus, filius Creüsae (Livius haesitans „Laviniae" memorat) in toto carmine partes minores non tamen leviores agit; cf. Aen. I, 715: „Ille (Julus—Cupido) .... inscia Dido, Insidat quantus miserae deus", quae ni fallor magno cum studio et plura indicans poëta scripsit; Aen. II, 681 sqq. prodigium narrat, quod Anchisam movet ut cum suis Trojam labentem relinquat; Aen. VII, 116: „Heus, etiam mensas consuminus, inquit Julus", quibus verbis Aeneae significat se fatalem terram attigisse; Aen. VII, 496 sqq.

„Cervus ab Ascanio vulneratus causa belli cum Laurentibus est."

Nemo profecto iis quae scripserunt Sainte-Beuve, Étude sur Virgile pg. 105: „Denys d'Halicarnasse ne parle guère là-dessus autrement que Virgile et il avait sans doute puisé aux mêmes sources etc.", et Schwegler, Röm. Gesch. I, pg. 289: „Virgil folgt im Allgemeinen der hergebrachten Ueberlieferung; nur an wenigen Punkten, wo das Gedicht es forderte, geht er von ihr ab" consentiet. Vergilius nominibus notis usus est, sed facta hominum fortunasque tanta neglegentia tractavit ut ex his nullus fere agnosci possit. Ex antiquitatum scriptoribus personas depromsit, iis habitum saepe tribuit vulgo notum, at iisdem partes tam dispares assignat ut unus quisque rerum scriptor eum jure inauditae licentiae accusare possit. At est poeta; res gestas earumque auctores pro libidine componit mutatque, diligentissime tantum observans ut omnia et tradita et recens ficta ad finem ducerent propositum.

Quantum res traditas mutaverit vidimus; nonne causas indagare possimus?

Sive jam Cato, sive Cato et Dionysius eas tradunt, constat de primo in Latio bello duas fabulas viguisse, quibus Aeneas vel solus contra Latinum et Turnum vel cum Latino contra Turnum pugnavisse tradebatur. Hac in pugna secundum Catonem Latinus cadit, et Latinus et Turnus secundum Dionysium. Sed Latinus caesus [1]) non placet poëtae, qui Jovi haec ad Junonem verba tribuit, Aen. XII, 797: „Mortalin' decuit violari volnere divum?".

---

1) Cf. Festus, pg. 194: „Oscillantes,..... causa .... proditur Latinus rex, qui praelio, quod eis * fuit adversus Mezentium, Caeritum regem, nusquam apparuerit judicatusque sit Jupiter factus Latiaris."

Latinus Aeneasque bellum gerentes inter se, ille Jupiter Latiaris, hic Jupiter Indiges, cf. Varro apud Aug. C. D. XVIII, 19: „Sed Aeneam quoniam .... non comparuit, deum sibi fecerunt Latini", Serv. Aen. I, 259: „cujus corpus .... cum Ascanius requisitum non invenisset in deorum numerum credidit relatum. Itaque ei templum condidit et Jovem Indigetem appellavit", quorum sacra in Lavinii arce et ad Numicium fluvium alterum alteri vicina erant, cf. Dionys. I, 51, Aeneas non tali modo erga socerum se gerere potuit, nec hic erga eum. Attamen tales fabulae vigent, natura rerum bella inimicitiasque poscunt, et ecce Latinus ab initio Aeneam benevole accipit, quum cives Trojanos ob cervum vulneratum aggrediuntur, se abscondit et non prius apparet, quam ut civibus profligatis Senatum suum de agro Trojanis dando consulat, posteaque, foedus quum ineunt, Aeneas ait, Aen. XII, 198 sqq.: „Non ego nec Teucris Italos parere jubebo, Nec mihi regna peto; paribus se legibus ambae Invictae gentes aeterna in foedera mittant. Sacra deosque dabo; socer arma Latinus habeto, Imperium solemne socer; mihi moenia Teucri constituent, urbique dabit Lavinia nomen."

Propter Laviniam Turnum, Rutulorum regem, cui Mezentius, contemtor ille deorum, auxiliatur, propter praedas actas Laurentes Latino invito egredi videmus contra Trojanos. Horum et civium suorum Latinus est reconciliator. Quis tamen non poëtam laudet, qui ad majorem Aeneae gloriam eum depinxit sua manu insidiatores et sui amoris et fati delentem? Quid his superstitibus fecisset? Non sacra sua tuta, non Latini imperium firmatum esset priusquam Latium ab hostibus inimicisque liberaret. Hoc, non alio modo Aeneas Latino pro benevolentia, qua statim post

suum appulsum acceptus est, gratias agit; sic generum se praebet dignum, qui et a socero et ab uxore ametur; sic Laurentibus eam admirationem sui injicit ut magno cum studio Trojanorum societatem petant; sic sua virtute dissensionem inter indigenas et advenas tollit, inimicitiasque ortas reprimit et ad tantam concordiam perducit ut, paucis annis post uno sub nomine juncti, per omnia saecula Latini vocentur; sic Aeneas Trojanus cum comitibus suis Latini fiunt et per viam aequatam Ascanius Julus, Veneris nepos, Jovis Indigetis filius inter vetustissimas populi Romani gentes suum locum obtinuit. Hoc Julius Caesar voluerat, in laudatione funebri Juliae, amitae, dicens: „Nam ab Anco Martio sunt Marcii Reges, quo nomine fuit mater, a Venere Julii, cujus gentis familia est nostra", cf. Suet. Div. Jul. 6. Hoc optavit Augustus cf. Ovid. Trist. II, 533: „Et tamen ille tuae felix Aeneidos auctor Contulit in Tyrios „arma virumque" toros", et Macrob. Saturn. I, 24, 11, (fragmentum Vergilii epistolae ad Augustum): „Ego vero frequentes a te litteras accipio", et infra „De Aenea quidem meo, si mehercle jam dignum auribus haberem tuis, libenter mitterem, sed tanta inchoata res est, ut paene vitio mentis tantum opus ingressus mihi videar" cett. Hoc Vergilius perficere conatus est perfecissetque nisi morte esset oppressus.

III.

Aeneas et Evander.

Aeneae, quum Laurentes duce Turno sibi multos socios jam comparavissent et Venulum legatum ad Diomeden Arporum regem misissent, novissima exspectanti, tandem somno oppresso, Tiberinus apparuit. Ei ut auxilium petat ab Evandro, Arcadum rege, qui in montibus urbem condiderant, suadet eumque certiorem facit fore ut certo loco albam suem cum triginta porcellis inveniat. Aeneas experrectus et navibus duabus iter incepturus, suem reperit, quam cum porcellis Junoni sacrificat.

Hisce peractis iter pergit et mox a Pallante Evandri filio repertus ad patrem adducitur, eo ipso tempore Herculi sacra facientem, quem hoc modo alloquitur, Aen. VIII, 127: „Optime Grajugenum .... Non equidem extimui, Danaum quod ductor et Arcas, Quodque ab stirpe fores geminis conjunctus Atridis. Sed mea me virtus .... Cognatique patres, ... Conjunxere tibi .... Dardanus, Iliacae primus pater urbis et auctor, Electra, ut Graii perhibent, Atlantide cretus, Advehitur Teucros; Electram maximus Atlas edidit .... Vobis Mercurius pater est, quem candida Maja .... fudit; At Ma-

jam .... Atlas, Idem Atlas generat .... Sic genus amborum scindit se sanguine ab uno." Eum Evander excipit, commemorans se olim Anchisen, patrem ejus, vidisse. Deinde dapibus vinoque refectis causam tanti Herculis honoris narrat. Postea sacrificia instaurantur, quae familiae Potitiorum Pinariorumque sibi curae habent.

Divinis rebus peractis se ad urbem referunt et Evander quae memorabilia in via perspiciuntur explicat, cf. Aen. VIII, 306—369. Nemora haec, inquit, olim Fauni Nymphaeque et viri rudes, agrorum cultum et parsimoniae artem nescientes, tenuerunt, quibus Saturnus primus, fugiens arma Jovis, leges dedit et nomen Latinum, quoniam his in oris tutus latuisset. Illa felicia tempora tamen evanuerunt. Ausones Sicanique his regionibus potiti sunt, alii post eos, inter quos rex Thybris. Jussu Carmentae, matris meae, Apollinisque ego has oras petivi. His narratis aram portamque Carmentalem monstrat; deinde lucum, quem postea Romulus asylum fecit, et Lupercal, dictum de more Parrhasio Panos Lycaei, et nemus sacri Argileti, ubi Argus, hospes suus, sepultus est. Pergentes iter sedem Tarpejam et Capitolinum collem, in quo deus incertus, quem Jovem Arcades credunt, habitat et duorum oppidorum monumenta in Janiculo Capitolioque inspiciunt tandemque ad pauperis Evandri tecta perveniunt, ubi quieti se dant. Postridie eum Evander incitat ut auxilium petat Etruscorum, qui regem desiderant ejusque in fidem Pallantem committit. Sacris Herculi factis proficiscuntur.

Haec memorabilia omnia, praeter ejus de morte Pallantis luctum (Lib. XI, 139—181) sunt, quae Vergilius de Evandri Aeneaeque congressu, jam a Sibylla Cumaea praedicto VI, 96: „.... Via prima salutis, Quod minime reris, Graja

pandetur ab urbe", narravit. Si forte quis pauca haec dicet, mox inspectis fabulis ab antiquioribus traditis, judicium mutabit. Exceptis enim aequalium testimoniis de hoc viro perpauca et haec satis recentia ad nos pervenerunt.

Invenimus enim (Krause pg. 82): „Cincius et Cassius (Hemina?) ajunt ab Evandro Faunum deum appellatum, ideoque aedes sacras, Faunas primo appellatas, postea Fana dicta", et apud Dionysium I, 32: „Ὡς δέ τινες ἱστοροῦσιν, ὧν ἐστι καὶ Πολύβιος ὁ Μεγαλοπολίτης ἀπό τινος μειρακίου Πάλαντος αὐτόθι τελευτήσαντος. Τοῦτον δὲ Ἡρακλέους εἶναι παῖδα καὶ Δυνάς (Λαύνας,) τῆς Εὐάνδρου θυγατρός· χώσαντα δ' αὐτῷ τὸν μητροπάτορα τάφον ἐπὶ τῷ λόφῳ Παλάντιον ἐπὶ τοῦ μειρακίου τὸν τοπὸν ὀνομάσαι", apud Servium Aen. VIII, 130: „At Majae filius Mercurius, ex quo Arcades, ex quibus Evander, quod Accius in Atreo plenius refert", et ibid. I, 273: „Attejus (L. Atejus Philologus?) asserit Romam ante adventum Evandri diu Valentiam, sed post Graeco nomine Romen vocitatam. Alii a filia Evandri ita dictam, alii a fatidica, quae praedixisset Evandro his eum locis oportere considere", quibus adjungere possumus fragmentum Varronis, Serv. Aen. VIII, 51: „Nonne Arcades confugerunt in Palatium duce Evandro?"

Post eos fabula crevisse videtur. Quamquam Ovidius scripserat, Fast. I, 471: „Hic fuit Evander, qui, quamquam clarus utroque, Nobilior sacrae sanguine (abl. caus.) matris erat", Dionysius, dicens: „ὡς αὐτοὶ Ῥωμαῖοι λέγουσιν", multo plura jam narrare potest, quae legimus Lib. I, cp. 31—33, quo tradit, Evandrum sexaginta fere annis ante bellum Trojanum e Palantio, urbe Arcadiae, ad Italiae oras, quas Aborigines tenebant, appulisse eumque filium Mercurii et Nymphae Arcadicae fatidicae fuisse, quam

Graeci Themin, Romanorum scriptores Carmentam (Θεσπίῳδιν) vocant, qui orta seditione inter cives sua sponte tamen migravit. Aborigines, quorum rex Faunus, Martis filius audax prudensque, a Romanis sacrificiis et carminibus ut unus e diis patriis honoratus est, Evandro comitibusque agrum quantum voluerunt dedisse, quem sibi Themidis monitu in colle prope Tiberim delegerunt, ubi vicum parvum, olim in suae patriae memoriam Palantium, nunc autem a Romanis Palatium dictum, aedificarunt. Infra refert se Evandro Carmentaeque sacrificia solemnia facere vidisse et eorum aras, alteram Carmentae ad postam Carmentalem sub eo colle, qui Capitolinus vocatur, alteram Evandri ad collem Aventinum prope portam Trigeminam, et Lib. II, cp. 1: „*μετὰ δὲ τοὺς Πελάσγους Ἀρκάδες ἐκ Παλαντίου πόλεως ἐξελθόντες, Εὔανδρον γὰρ ἡγεμόνα ποιησάμενοι τῆς ἀποικίας, Ἑρμοῦ καὶ νύμφης Θέμιδος υἱόν.*"

Strabo scribit Lib. V, 3, 3: „*Αὕτη μὲν οὖν ἡ μάλιστα πιστευομένη τῆς Ῥώμης κτίσις ἐστίν. Ἄλλη δέ τις προτέρα καὶ μυθώδης Ἀρκαδικὴν λέγουσα γενέσθαι τὴν ἀποικίαν ὑπ' Εὐάνδρου .... πυθόμενον δὲ τῆς μητρὸς Νικοστράτης τὸν Εὔανδρον .... καὶ τὴν μητέρα δὲ τοῦ Εὐάνδρου τιμῶσι Ῥωμαῖοι, μίαν τῶν νυμφῶν νομίσαντες, Καρμέντην μετονομασθεῖσαν.*"

Livius I, 7, 8, tradit: „Evander tum ea profugus ex Peloponneso auctoritate magis quam imperio regebat loca, venerabilis vir miraculo litterarum, rei novae inter rudes artium homines, venerabilior divinitate credita Carmentae matris, quam fatiloquam ante Sibyllae in Italiam adventum miratae eae gentes fuerant", (ea loca: Palatium, cf. ibid. 3.). Festus commemorat pg. 266, i. v. Romam: „Historiae Cumanae compositor (Hyperochus, Ath. XII, 37?) ait .... Valentiam, quod nomen adventu Evandri Aeneaeque in

Italiam cum magna Graece loquentium copia interpretatum, dici coeptum Rhomam."

Plutarchus scribit Rom. 21, 2: „Τὴν δὲ Καρμένταν οἴονταί τινες μοῖραν εἶναι κυρίαν ἀνθρώπου γενέσεως· διὸ καὶ τιμῶσιν αὐτὴν αἱ μητέρες. οἱ δὲ τὴν τοῦ Εὐάνδρου τοῦ Ἀρκάδος γυναῖκα, μαντικήν τινα καὶ φοιβαστικὴν ἐμμέτρων χρησμῶν γενομένην, Καρμένταν ἐπονομασθῆναι. Νικοστράτη δὲ ἦν ὄνομα κύριον αὐτῇ." (Καρμέντα a verbis „carere" et „mens").

Apud Pausaniam legimus VIII, 42, 2: „Εὔανδρον, παῖδα δ' αὐτὸν νύμφης τε εἶναι, θυγατρὸς τοῦ Λάδωνος (Arcadiae flumen, Strab. pg. 339) καὶ Ἑρμοῦ· σταλέντα δὲ ἐς ἀποικίαν καὶ ἄγοντα Ἀρκάδων τῶν ἐκ Παλλαντίου στρατίαν, παρὰ τῷ ποταμῷ πόλιν τῷ Θύβριδι οἰκίσαι· Καὶ Ῥωμαίων μέρος τῆς πόλεως .... ὄνομα ἔσχε Παλλάντιον κατὰ μνήμην τῆς ἐν Ἀρκαδίᾳ. χρόνῳ δὲ ὕστερον μετέπεσε τὸ ὄνομα ἐν ἀναιρέσει γραμμάτων τοῦ τε $\overline{\lambda}$ καὶ τοῦ $\overline{\nu}$. Τούτων μὲν τῶν λελεγμένων ἕνεκα Παλλαντιεῦσιν ἐκ βασίλεως (Ἀντωνίνου) ἐγένοντο δωρεαί", et VIII, 44, 5: „Ἐν δὲ Παλλαντίῳ (Arcadiae urbe) ναός τε καὶ ἀγάλματα λίθου Πάλλαντος, τὸ δὲ ἕτερόν ἐστιν Εὐάνδρου."

Dio Cassius fr. 3, etsi non commemorat Evandri parentes, tamen quod legimus apud Paus. VIII, 43, 2 iisdem fere verbis refert.

Solinus I, 10 haec habet: „Suo quoque numini idem Hercules instituit aram, quae maxima apud Pontifices habetur, cum se ex Nicostrate, Evandri matre, quae a Vaticinio Carmentis dicta est, immortalem conperisset."

Servius plura nobis servavit. Ad Aen. VIII, 313 legimus: „Romanae conditor arcis: — conditor Pallantei, ubi nunc palatium est; quod non est revera arx, sed tenet rerum omnium principatum," cf. VI, 773: „Romam etiam Romulus fecisse dicitur, quam ante Evander condidit." Et

ad Aen. VIII, 51: „Arcades cett., Evander Arcas fuit nepos Pallantis, regis Arcadiae. Hic cum patrem suum occidisset suadente matre Nicostrata, quae etiam Carmentis dicta est, quia carminibus vaticinabatur, [ ] dimissa provincia sua [exsilio non sponte compulsus] venit ad Italiam et pulsis Aboriginibus tenuit loca in quibus nunc Roma est, et modicum oppidum fundavit in monte Palatino, [sicut ait Varro: „Nonne Arcades" etc.]" et VIII, 130: „Quaeritur sane, unde Evander Atridis genere fuerit conjunctus? et quamvis Hesiodus dicat, qualiter conjunctus sit Evander, tamen quidam ajunt Thyestae filias Ledam et Hypermnestram fuisse, Ledae et Tyndarei filios Clytemnestram, Helenam et Tymandram fuisse, quam duxit uxorem Cohemus (Echemus) Arcas, cujus filius Evander. Clytemnestram et Helenam notum est Agamemnoni et Menelao junctas fuisse. Alii ita tradunt Steropes et Atlantis filios Oenomaum et Majam fuisse, Oenomai Hippodamiam filiam, unde Atreus natus, at Majae filius Mercurius ex quo Arcades, de quibus Evander quod Accius in Atreo plenius refert. Alii ita narrant: Atlas complures habuit filios, sed de Lino Pelopen genuit, is Atreum, Atreus Agamemnonem et Menelaum, Mercurius deinde est Nicostratae pater, quae fuit mater Evandri, Mercurium Maja filia Atlantis genuit. Sic Evander Atridis conjunctus est, Trojanis autem sic jungitur, ex Electra Atlantis filia et Jove Dardanus nascitur, ejus filius Erichthonius, ex eo Assaracus, ex illo Capys, ex illo Anchises, ex illo Aeneas."

Accius tradiderat: „Arcades, Evandrum igitur quoque, Mercurii filios fuisse", et Varro: „eum exsulem ex Arcadia ad Palatium venisse", quos Vergilius secutus est. Nam Aeneam Evandro indicantem eorum cognationem

audimus, VIII, 138: „Vobis Mercurius pater est", quum jam antea Tiberinus, Aeneam exhortans ut Evandri petat auxilium, dixerat 52: „qui regem Evandrum secuti .... posuere in montibus urbem Pallantis proavi de nomine Pallanteum", cf. Ovid. Fasti I, 471. Recentiores tamen vel Evandrum filium Mercurii dicunt vel de patre tacent, praeter Servium, qui tradit alios eum filium Nicostratae, nepotem aut Mercurii aut Pallantis, alios Echemi, Arcadiae regis et Tymandrae vocasse. Matrem ejus omnes Nicostratam fuisse tradunt praeter Dionysium, qui Themin, Plutarchum qui Evandri uxorem, et unum Servii testem qui eam Tymandram ajunt, omnibus consentientibus ei nomen Carmentae impositum esse e vaticinandi facultate, quod alii a verbo „carmina" deducunt, Plutarchus autem a „carere" et „mens".

Si ad has varias confusasque de Evandro narrationes hoc addimus Servium solum narratorem fabularum esse, quas invenimus Lib. VIII, 51 (de ejus parricidio), 345 (de Argi nece) et 562 (de Herilo victo), jure quodam conjicere licet Vergilium Evandrum nostrum, Mercurii subolem, (Carmentae filium), exsulem ex Arcadia ad Palatium venientem elegisse, quia ipsa fabularum paupertas ei potestatem dedit ornandi hunc virum muneribus factisque, quorum originis memoria procedente tempore evanuerat.

Jam, antequam de hac opinione fusius disputo, nonnullas aliorum sententias perquiram.

Klausenium in libro „Aeneas und die Penaten" pg. 892, Evandrum a verbo „evannere" ut „Pales, Palas" a „paleo" deducentem eoque modo nominum Graecorum apud Romanos praesentiam explicantem, opus magis ingeniosum quam verum egisse mihi videtur, quod compa-

rationibus derivationibusque subtilissimis munivit non tamen unius testimonii indicio, quo talem conjecturam facere liceat.

Quid Merkelium (in Fastorum Ovidii prolegomenis pg. 196 sqq.), ut Evandro inter deos a Varrone certos dictos locum daret, permoverit me non intelligere confiteor. Nam hos certos deos tractans (ibid. pg. 185) primum fragmentum Libri XIV citat e Servio Aen. VIII, 275: „Varro dicit deos alios esse, qui ab initio certi et sempiterni sunt, alios qui ex hominibus facti sunt, et de his ipsis alios esse privatos, alios communes; privatos, quos unaquaeque gens colit, ut nos Faunum, Thebani Amfiaraum, Lacedaemonii Tindareum, communes, quos universi, ut Castorem, Pollucem, Liberum, Herculem." Varro ergo certos sempiternosque et immortales ex hominibus factos deos distinxit. Quum enim Varro dicit secundum Serv. Aen. VIII, 51: „Nonne Arcades exsules confugerunt in Palatium, duce Evandro?" luce clarius Evandrum ducem et mortalem existimat, quem igitur si inter deos, profecto non inter deos certos posuisset.

Quodsi quis, ut Merkel fecit prol. pg. 195, ubi scribit: „Venio nunc ad ipsum illud alterum genus deorum certorum, cujus proprium est fabulam habere sed simplicem nec ambiguam traditam, tum nomina aliusmodi, quam deos indigitamentorum", haec fragmenti primi verba hoc modo legit: „alios qui ex hominibus certi sempiternique facti sunt", rogo quam ob causam contendat Varronem ipsum Evandrum inter deos vel certos vel incertos collocasse? Nullo argumento hoc probatur. Evander, Arcadum exsulum dux, in Palatium confugit; sic relatum est, quum ad hunc locum, quod saepe aliis cf. Lib. VI, fr. 2, 3, 5,

6, 7; Lib. VII, fr. 1; Lib. XI, fr. 1, 2; Lib. XIV, fr. 15, 17, 18; adscriptum est, nullum libri indicium invenitur. Quae quum ita sint, contendere licet, Merckelium sive aliorum exemplo, sive opinione vulgo recepta perductum esse, ut hoc fragmentum in librum deos certos continentem, atque etiam in Rerum Divinarum librum insereret.

Inter nonnullos hujus aevi viros doctos sententia quoque haec viget: Evandrum eundem fuisse atque Faunum. Sic Schwegler, quem omnium uberrimum de hac re scriptorem inveni, scripsit Röm. Gesch. 357, 58: „Evander ist die griechische Uebersetzung von Faunus. Faunus contrahirt aus Favinus bedeutet den „wohlwollenden", den „guten Gott", wie denn die Fauna auch Bona Dea heiszt. Jene Uebersetzung lag um so näher da Pan auch in Arcadiën den Namen des „guten Gottes" (Paus VIII, 36, 3) geführt zu haben scheint. Die Identität des Faunus wird auszerdem noch durch eine Reihe bestätigender Merkmale gesichert." Quam sententiam confirmans dicit: „Als Sohn des Hermes erscheint Faunus (Plut. Parell. 38), ebenso Evander (Dion. I, 31; Paus VIII, 43, 2), ganz wie Pan, der diesz bekanntlich auch ist. Die gastliche Aufnahme des Hercules wird bald dem Evander (die gewöhnliche Tradition) bald dem Faunus (Plut. Parell. 38) zugeschrieben. Die Jungfrau, die von Hercules schwanger wird, heiszt bald Tochter des Faunus (Just. 43, 1, 9), bald Tochter Evanders (Dion. I, 32, 43; Sil. Italic. VI, 633; Serv. Aen. VIII, 51). Bemerkenswerth ist ferner, dasz die Ankunft des Evander in die Regierung des Faunus fällt und dasz Faunus es ist, der den Evander, seinen Doppelgänger, freundlich aufnimmt (Dion. 31). Daher wird auch was sonst von Evander erzählt wird anderwärts

dem Faunus zugeschrieben z. b. Prob. Verg. Georg I, 10."

Sic Preller, Röm. Myth. S1, pg. 19: „durch den angeblich arkadischen Evander, welcher in Wahrheit der latinische Faunus ist", cf. pg. 379, pg. 414 n. 4, cett.; quae omnes sunt affirmationes certo fundamento carentes.

Certe aliqua ex parte verba „Faunus" et „Evander" inter se congruere nemo non videt. „Εὐ" et „fav" et „ἄγχιστος" verba fere inter se congruentia vocare, hoc ferri possit, sed e significationis similitudine vel sine historiae indicio vel contra id, convenientiam hominum deorumque efficere nimis lubricum mihi videtur.

De eorum indiciis quid judicandum sit, nunc jam exponam. Legimus apud Plutarchum Parall. 38: „Ἡρακλῆς τὰς Γηρυόνου βοῦς ἐλαύνων δι' Ἰταλίας ἐπεξεναύθη Φαύνῳ βασιλεῖ, ὃς ἦν Ἕρμοῦ παῖς, καὶ τοὺς γε ξένους τῷ γεννήσαντι ἔθυεν." Quid tamen unum hoc testimonium omnibus aliis tacentibus valet? quid una haec nova implicatio afferre potest ut deorum minorum illud stemma, saepe jam alio modo traditum, mutetur? Puella quoque, ab Hercule compressa, testatur, quam libenter viri docti vel minima congruentiae vestigia premant. Ut Schwegler recte annotavit, legimus apud Dion. I, 32: „Τοῦτον (Πάλαντα) δὲ Ἡρακλέως εἶναι παῖδα καὶ Δύνης τῆς Εὐάνδρου θυγατρός" et I, 43: „Λέγουσι δέ τινες αὐτὸν (Ἡρακλέα) καὶ παῖδας .... ἐκ δύο γυναικῶν γενομένους καταλιπεῖν. Πάλαντα μὲν ἐκ τῆς Εὐάνδρου θυγατρός .... Λάτινον δὲ ἔκ τινος ὑπερβορίδος κόρης", Serv. Aen. VIII, 51: „Secundum Varronem et alios a filia Evandri, Pallantia, ab Hercule vitiata." Sil. Ital. VI, 633: „cum regia virgo (Evandri filia) Hospite victa sacro, Fabium de crimine laeto Procreat, et magni commiscet seminis ortus Arcas in Herculeos mater ventura nepotes",

et Justin. 43, 1, 9: „Ex filia Fauni et Hercule .... stupro conceptus Latinus procreatur." His tamen inter se comparatis patet Herculem non filiam aut Evandri aut Fauni vitiasse, ut Schwegler dicit, sed ambas; ex illa Pallantem procreantem, ex hac Latinum. Quod denique Probus dicit Georg. I, 10: „eundem Pana, eundum Inuum, eundem Faunum quidam interpretantur.... Existimatur autem Faunus fuisse rex Aboriginorum, qui cives suos mitiorem vitam docuerit, ritu ferarum viventes etc." munera haec Evandro quoque tribuuntur, ut recte Schwegler annotat, quod tamen profecto non minus probat Evandrum recentioribus demum temporibus eundem ac Faunum habitum esse, quum ne Probus quidem enumerans ejus nomina „Evandrum" inseruerit. Servius ipse, qui saepius de Fauno ejusque nominibus scripsit, nusquam Evandrum cognomen commemorat, cf. ad Aen. VI, 776; VII, 47; VIII, 314; X, 76 e. a. t. Ovidius habet Fast. II, 267: „Tertia post Idus nudos Aurora Lupercos aspicit, et Fauni sacra bicornis eunt. Dicite, Pierides, sacrorum quae sit origo, attigerint Latias unde petita domos?.... Pan erat armenti, Pan illic numen equarum: munus ob incolumes ille ferebat oves. Transtulit Evander silvestria numina secum". Quae, quum ita sint, satis demonstrasse mihi videor sententiam eorum, qui Faunum et Evandrum eundem esse contendant, magis temeraria opinione quam testimoniis niti.

Sed in Appiani libri de Regibus Romanorum initio legimus: „Ἦρχε τότε Ἀβοριγίνων.... Φαῦνος ὁ τοῦ Ἄρεως, ὃς καὶ ζεύγνυσιν Αἰνείᾳ τὴν θυγατέρα αὐτοῦ Λαουϊνίαν" cett., e quibus certe patet eum Faunum eundem dixisse quem alios Latinum vocarent, non eum Faunum eundem esse atque Latinum contendisse.

Haec autem de Evandro constituenda videntur.

Ante Vergilium Evander dux Arcas erat, qui exsul e patria cum comitibus in Palatium migraverat. Eum poëta elegit ornavitque non novas ei titulos attribuendo, audimus enim Aen. VIII, 313: „Tum rex Evander Romanae conditor arcis", et 359 sqq.: „Talibus inter se dictis ad tecta subibant pauperis Evandri.... Aude, hospes, contemnere opes et te quoque dignum finge deo, rebusque veni non asper egenis", et 572 (verba ipsius Evandri): „At vos o superi, et divom tu maxime rector Juppiter, Arcadii, quaeso, miserescite regis. Et patrias audite preces", sic nusquam eum supra homines extollit, sed ei assignando et matrem Carmentam et caeremoniarum artiumque introductionem, quarum origo vel e Graecia deducebatur vel incerta erat. Illa Carmenta „Nympha ei fata canens" 333, „Vates fatidica" 340, mater Evandro data ingeniosum poetae figmentum mihi videtur, quo tamen simul Evander semidei specie ornatur.

Quum enim Suetonius, enumerans publica opera, aedes et templa, quae extruxit Augustus cp. 29 narrat: „Sed et ceteros principes viros saepe hortatus est, ut pro facultate quisque monimentis vel novis, vel refectis et excultis urbem adornarent. Multaque a multis tunc exstructa, sicut.... a M. vero Agrippa complura et egregia", quis negare possit inter haec multa aram Evandri quoque fuisse, quem Vergilius in suo carmine, post ejus mortem edito, filium Carmentae, jam diebus festis honoratae, conditorem Romanae arcis appellasset, cui Roma tot tantaque celebratissima sacra deberet? Quae opinio a Dionysio firmatur, qui scribens Lib. I, 32: „καὶ γὰρ Εὐάνδρῳ θυσίας ἔμαθον ὑπὸ Ῥωμαίων ἐπιτελουμένας ὅσα ἔτη δημοσίᾳ, καὶ Καρ-

μέντῃ, καθάπερ τοῖς λοιποῖς ἥρωσι καὶ δαίμοσι, καὶ βώμους ἐθεασάμην ἱδρυμένους Καρμέντῃ μὲν .... Εὐάνδρῳ δὲ πρὸς ἑτέρῳ τῶν λόφων, Αὐεντίνῳ λεγομένῳ, τῆς Τριδύμου πύλης οὐ πρόσω", et primus est testis divini honoris Evandro tributi, commemorans I, 31: „ἡγεῖτο δὲ τῆς ἀποικίας Εὔανδρος, Ἑρμοῦ γενόμενος καὶ νύμφης τινὸς Ἀρκάσιν ἐπιχωρίας" et primus eum Hermae filium dicit. Deinde nulla cultus vestigia reperiuntur, donec legimus apud Pausaniam Lib. VIII, 44, 5: „Ἐν δὲ Παλλαντίῳ (Arcadiae urbe) ναός τε καὶ ἀγαλματα λίθου Πάλλαντος, τὸ δ' ἕτερόν ἐστιν Εὐάνδρου", quae Antoninus Pius fecisse videtur, qui, eodem teste 43, 1, pagum Pallantium in urbium numerum redigerat ejusque incolis dederat libertatem immunitatemque.

Sic Arcas Evander, qui sexaginta annis ante Trojam captam in Palatium migraverat, a Vergilio elatus, Augusto regnante primos divinos honores accepit (inter annos 18—8 a. Chr. n.) et uno et dimidio fere saeculo post in sua patria templo signoque ornatus, Superis adscitus est.

Rogantibus quid Vergilium permoverit ut Aeneam Evandrum visentem fingeret, diversa responsa dari possint; mihi autem maxime arridet quod ipse dedit VIII, 129: „Non equidem extimui Danaum quod ductor et Arcas, Quodque a stirpe fores geminis conjunctus Atridis." Sic monstrat inimicitias Trojanorum Graecorumque se in terra Italica continuo in amicitiam convertisse tam sinceram, ut ne mors quidem Pallantis, Evandri filii, Aeneae fidei commissi, eam dirumpere potuerit cf. XI, 164, deinde jam Aeneam montem Palatinum adiisse, qui apud Romanos praeter Capitolium semper maximo honore colitur, sedem et antiquarum et ab Augusto renovatarum caeremoniarum, ubi praeterea ejus domus erat. Simul poeta sibi

viam aperit, qua „arma .irumque canens" priscorum Romae incolarum mores cultusque deorum civium animis commendet.

His pauca, quae de Carmenta Carmentalibusque memoriae tradita sunt addenda videntur.

Apud Varronem L. L. VI, 12 legimus: „Carmentalia nominantur quod sacra tum et feriae Carmentis". Apud Festum pg. 334, i. v. Scelerata: „Scelerata porta eadem appellatur a quibusdam, quae et Carmentalis dicitur, quod ei proximum Carmentae sacellum fuit. Scelerata autem, quod per eam sex et trecenti Favi cum clientium millibus quinque egressi adversus Etruscos, ad amnem Cremeram omnes sunt interfecti. Qua ex causa factum est ut ea porta intrare, egredive mali ominis habeatur." Cicero nos in Bruto, § 56, certiores facit: „licet aliquid etiam de M. Popilii ingenio suspicari, qui cum consul (a. Chr. 359) esset eodemque tempore sacrificium publicum cum laena faceret, quod erat flamen Carmentalis, plebei contra patres concitatione et seditione nuntiata, ut erat laena amictus, ita venit in concionem, seditionemque cum auctoritate tum oratione sedavit." In Verrii Flacci Fast. Praenest. annotatum invenimus: „a. d. III Idus Januarias: futura ob quam ca.... omine morticino....", et „a. d. XVII Kalendas Februarias: Feriae Ca(rme)nti ob eandem causam.... III Idus Hercules dicitur instituis.... si Fidenas eo die cepisset." Fidenae autem bis expugnatae sunt, primum a Servilio dictatore (a. Chr. 435), deinde a Mamerco Aemilio dictatore (a. Chr. 426).

Et Macrobius describens feriarum quatuor genera, tradit Sat. I, 16, 6: „Et sunt stativae universi populi communes certis et constitutis diebus ac mensibus et in fastis

statis observationibus annotatae, in quibus praecipue servantur Agonalia, Carmentalia Lupercalia."

E quibus patere mihi videtur Carmentalia jam remotioribus temporibus celebrata esse. De deae natura tamen ambigua tradita sunt.

Gellius commemorat scripta Varronis XVI, 16: „Quando igitur contra naturam forte conversi in pedes, brachiis plerumque deductis, retineri solent, aegriusque tum mulieres enituntur. Hujus periculi deprecandi gratia arae statutae sunt Romae duabus Carmentibus, quarum altera Postverta cognominata est, Prorsa altera, a directi perversique partus et potestate et nomine." Ovidius Fast. I, 617 scribit (a. d. XVII Kalendas Februarias): „Respiciet Titan actas ubi tertius Idus, Fient Parrhasiae sacra relata deae. Nam prius Ausonias matres carpenta vehebant; Mox honor eripitur matronaque destinat omnis Ingratos nulla prole novare viros. .... Porrima placatur Postvertaque, sive sorores Sive fugae comites, Maenali diva, tuae. Altera, quod porro fuerat, cecinisse putatur: Altera, versurum postmodo quidquid erat." In diem III a. Idus Januarias eundem audivimus I, 461: „Proxima prospiciet Tithono Aurora relicto Arcadiae sacrum pontificale deae. .... Unde petam causas horum moremque sacrorum? .... Ipsa mone, quae nomen habes a carmine ductum, Propositoque fave, ne tuus erret honor .... At felix vates, ut dis gratissima vixit, Possidet hunc Jani sic dea mense diem." Sic Ovidius utramque deae naturam refert idemque facit Plutarchus Rom. 21, 2: „Καρμέντην .... μοῖραν εἶναι κυρίαν ἀνθρώπου γενέσεως .... μαντίκην τινα". Vergilius eam Nympham vatem fatidicam tantum appellat.

Secundum verba in Fastis Praenestinis: „omine morti-

cino" Ovidiique Fast. I, 629: „Scortea non illi fas est inferre sacello (Carmentae), Ne violent puros examimata focos", seu sententia Servii valet ad Aen. IV, 518: „Sane Flaminicae non licebat, neque calceos, neque morticinos habere. Morticinae autem dicuntur, quae de pecudibus sua sponte mortuis fiebant", seu Varronis VII, 84: „Id enim non solum antiqui dicebant „scortum", sed etiam nunc dicimus „scortea" ea, quae ex corio ac pellibus sunt facta", inter sacella hoc Carmentae quoque fuisse mihi videtur, in quibus scriptum, erat secundum Varronem, ibid.: „Ne quid scorteum adhibeatur ideo ne morticinum quid adsit."

Utrum igitur Carmentae haec duplex natura ab initio ascripta sit, an ei jure majore, quod alii contendunt, ars vaticinandi, e quo postea praegnantium numen ortum esset, tribuenda sit, quis dijudicabit? Hoc tamen statui potest, Vergilium omnium primum Carmentam Evandri matrem fecisse, quo figmento eum inter deorum filios introduceret ejusque verbis factisque majoris dignitatis splendorem adderet.

IV.

Turnus.

Turnum, Rutulorum regem in posterioribus Aeneïdos libris post Aeneam primas partes agere facile patet. Sponsus ille Laviniae, Aen. VII, 55, „(Laviniam) petit ante alios pulcherrimus omnes Turnus, avis atavisque potens;

quem regia conjux (Amata) Adjungi generum miro properabat amore", a Latino ex improviso Aeneae promissae, Alectus monitu bellum Trojanis inferre paratus, se Laurentibus ob cervum vulneratum iratis jamque a Trojanis profligatis, adjunxit. Rerum habenis a Latino relictis dux a Laurentibus factus est, cf. VIII, 1: „Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce extulit", dux ceterorum ductorum VIII, 5: „Ductores primi Messapus et Ufens, contemptorque deum Mezentius undique cogunt auxilia." Ab Iride ad bellum excitatus primus Trojanorum castra aggreditur et naves incendere parat, IX, 1—75, post multa praeclara facta, IX, 535, 691, 749; X, 276, 308, 479, etiam nunc sperans Laviniam sibi uxorem fore, cf. XI, 440: „Vobis animam hanc soceroque Latino Turnus ego, haud ulli veterum virtute secundus, Devovi", Latinumque alloquens XII, 13: „Fer sacra, pater, et concipe foedus", tandem cum Aenea pugnam singularem init et ab eo occisus est. Sic Turni amor causa, ejus mors finis est belli, quod Vergilius carmine celebravit. Jam quid de hujus viri origine narret poeta inspiciamus.

Legimus VII, 56: „Turnus avis atavisque potens", IX, 3: „Luco tum forte parentis Pilumni Turnus sacrata valle sedebat", X, 75: „Et patria Turnum consistere terra, cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater". Audimus Junonem Jovem alloquentem, X, 614: „Non hoc mihi namque negares, Omnipotens, quin et pugnae subducere Turnum et Dauno possem incolumem servare parenti, ... Ille (Turnus) tamen nostra deducit origine nomen. Pilumnusque illi quartus pater," deinde 688: „Et patris antiquam Dauni defertur ad urbem (Ardeam)", quum Turnus moriturus Aeneam obsecrat XII, 934: „Dauni miserere senectae",

quibus addenda sunt verba Amatae VII, 365: „quid cura antiqua tuorum, Et consanguines toties data dextera Turno?" Latinique, XII, 29: „Victus amore tui, cognato sanguine victus", e quibus patet Vergilium Turno Daunum patrem, Veniliam matrem, Pilumnum avum vel abavum et cum Latino cognationem ascripsisse. Sed Amata quoque, quum pro Turno deprecatur ejusque et peregrinitatem et habilitatem laudat Latino, dicit VII, 371: „Et Turno, si prima domus repetatur origo, Inachus Acrisiusque patres, mediaeque Mycenae". Fungens vice patris, aetate gravis, Rutulorum rex erat, quorum caput Ardea, VII, 407: „Protinus hinc fuscis tristis dea (Allecto) tollitur alis Audacis Rutuli ad muros, quam dicitur urbem Acrisoneis Danaë fundasse colonis, Praecipiti delata Noto. Locus Ardea quondam Dictus avis; et nunc magnum tenet Ardea nomen; Sed fortuna fuit. Tectis his Turnus in altis Jam mediam nigra carpebat nocte quietem."

Turni stemma, quamquam ipsum eum Cato in Originibus, ut supra vidimus, commemorat, a nullo alio antiquo scriptore nisi a L. Calpurnio Pisone Frugi traditum videtur; cf. Auct. de or. gent. Rom. cap. 13 (Krause pg. 146): „Piso quidem Turnum matruelem fuisse Amatae tradit, interfectoque Latino mortem ipsam sibimet conscivisse." Hoc ipsum ad Vergilii commentum refutandum sufficiat si probari possit quod Servius annotat ad Aen. VI, 90: „Natus et ipse dea i. e. de Venilia, sorore Amatae." Ut enim Turnus matruelis esset Amatae non ejus sororis sed fratris filius esse deberet, nam secundum Servium et Pomponium Sabinum, dicentes Amatam Veniliamque sorores, Turnus Amatae consobrinus fuit. Quod tamen e Vergilii narratione non liquet.

Turnus apud Vergilium est suboles Pilumni, de quo Piso (Krause 146): „Pilumnum dicta, quia pellat mala infantiae", tradiderat et Varro, secundum Serv. X, 76: „Varro Pilumnum et Picumnum infantium deos esse ait, iisque pro puerpera lectum in atrio sterni, dum exploretur an vitalis sit, qui natus est", et X, 4: „Pilumnus et Picumnus fratres fuerunt et dii; horum Picumnus usum stercandorum invenit agrorum unde et Sterquilinus dictus est, Pilumnus vero pinsendi frumenti, unde a pistoribus colitur. Ab ipso etiam pilum dictum est. Varro conjugales deos suspicatur." Hunc Augustinus secutus est in Civ. D. VI, 9: „Intercidonam, Pilumnum, Deverramque" componens.

De Venilia fabulae exstant in quibus modo Nympha a Jano amata cf. Ovid. Met. XIV, 334, modo ut Salacia, Neptuni uxor dicitur cf. Varro L.L. V, 72: „Salacia Neptuni a salo, Venilia a veniendo ac ventu illo, quem Plautus dicit: „Quod ibi dixit, qui secundo vento vectus est Tranquillo mari: ventum gaudeo"," et in libro Rerum Div. cf. Aug. C.D. IV, 11: „Praesit fortuitis voceturque Fortuna — de spe, quae venit Venilia", et „spes cum conciliata non frustra esset et evenisset [Veniliae sacrifica]bantur, quam deam cum Neptuno conjungunt multi", modo igitur „Spei dea". Ex quibus relationibus quamvis variatis conjicere tamen licet Vergilium Turnum divinae matri subdidisse. Accedit quod a paterna parte quoque familiae minime contemnendae ascriptus est. Quum enim Amatam audimus: „Et Turno Inachus Acrisiusque patres, mediaeque Mycenae", et poëtam Allectus iter describentem VII, 409: „Audacis Rutuli ad muros, quam dicitur urbem Acrisoneis Danaë fundasse colonis", quomodo cum his Daunus, Turni pater, conjunc-

tus sit rogare cogimur. Mirum figmentum hic offendimus.

Danaës fabulam nobis commentator Apollonii Rhodii, Arg. IV, 1091, tradidit: „Φερεκύδης ἐν δωδεκάτῳ ἱστορεῖ ὡς Ἀκρίσιος γαμεῖ Εὐρυδίκην, τὴν Λακεδαίμονος, τῶν δὲ γίνεται Δανάη.... Ὁ (Ἀκρίσιος) δὲ οὐ πείθεται, ἀλλ' ἐς λάρνακα ἐμβιβάζει αὐτὴν (Δανάην) μετὰ τοῦ παιδὸς (Περσέως), καὶ κλείσας καταποντοῖ. Καὶ φερόμενοι ἀφικνοῦνται εἰς Σέριφον τὴν νῆσον· καὶ αὐτοὺς ἐξέλκει Δίκτυς ὁ Περισθένους, δικτύῳ ἁλιτεύων. Εἶτα ἡ Δανάη ἀνοῖξαι ἱκετεύει τὴν λάρνακα. Ὁ δὲ, ἀνοίξας, καὶ μαθὼν οἵτινές εἰσιν, ἄγει εἰς τὴν οἶκον, καὶ τρέφει ὡς ἂν συγγενεῖς αὐτοῦ ὄντας." Eodem fere modo haec Apollodorus in Βιβλιοθήκῃ II, 2, 1, 4 narrat.

Ovidius, quamquam saepe Danaën commemorat nusquam ejus in Italiam adventum tradit. Turnus ubique ei rex est Rutulorum de cujus gente nihil narrat, nisi quod legitur Fast. I, 463: „Turni soror" i. e. Juturna, et IV, 879: „Turnus an Aeneas Latiae gener Amatae bellum erat". De Ardea legimus Met. XIV, 573: „Cadit Ardea, Turno Sospite dicta potens. Quam postquam Dardanus ignis Abstulit, et tepida latuerunt tecta favilla, Congerie e media tum primum cognita praepes Subvolat, ... nomen quoque mansit in illa Urbis: et ipsa suis deplangitur Ardea alis."

Dionysius tradit I, 72: „Ξεναγόρας δὲ ὁ συγγραφεύς (φησιν) Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης υἱοὺς γενέσθαι τρεῖς, Ῥωμον, Ἀντίαν, Ἀρδέαν, οἰκίσαντες δὲ τρεῖς πόλεις ἀφ' ἑαυτῶν θέσθαι τοῖς κτίσμασι τὰς ὀνομασίας."

Ita ne aequales quidem Vergilii neque de Dauno hoc neque de Danaë, quae Ardeam condidisset, mentionem faciunt, et poëta noster ex nominum similitudine haec primus mihi lepidissime finxisse videtur, ut illustrem originem Turno etiam a patris parte affingeret. Danaë, in arca

maris fluctibus jactata, perinde ad Italiam atque ad insulam Seryphum appellere potuit, majorque gloria Turno attribuitur si illa sedem ejus condit. Talia autem poetis concessa sunt; commentatores autem videant ne quid res et humanae et divinae detrimenti accipiant. Quae hi composuerunt perquiremus, postquam citavi locos Plinii N.H. III, 57: „Ardea a Danaë, Persei matre, condita est", et XXXV, 139: „Artemon (pinxit) Danaën mirantibus eam praedonibus."

Servius narrat ad Aen. VII, 372: „Danaë Acrisii regis Argivorum filia, postquam est a Jove vitiata, pater eam intra arcam inclusam praecipitavit in mare, quae delata ad Italiam inventa est a piscatore cum Perseo, quem illa enixa fuerat, et oblata regi [Pilumno], qui eam sibi fecit uxorem, cum qua etiam Ardeam condidit, a quibus Turnum vult originem ducere", et 412: „Magnum tenet Ardea nomen, bene allusit. Nam „ardea", quasi „ardua" dicta est, i. e. magna et nobilis; licet Hyginus in Italicis urbibus ab augurio avis ardeae (Ardeam) dictam velit. Illud namque Ovidii in Metamorphosibus fabulosum est, incensam ab Annibale (Aenea) Ardeam in hanc avem esse conversam. Sciendum tamen Ardeam κατ' ἀντίφρασιν dictam, quod brevitate pennarum altius non volat".

Pomponius autem Sabinus VII, 371 „Acrisiusque: post commissum a Jove stuprum Acrisius rex Argorum indignatus filiam Danaën capsula inclusam projecit in mare, quae vecta est in Latium et a piscatoribus accepta puella, quae jam pepererat intus Perseum. Puella data fuit regi Rutulorum, qui, ubi genus audivit, duxit uxorem. Hac duce Rutuli duxere Ardeam coloniam. Ardea dicta est ab Ardea, filio Ulyssis et Circes. Acrisius fuit de genere Inachi, pater

Danaës in cujus gremium descendit Jupiter liquefactus in aurum et cum puella coivit", et ibid.: „Ardea, quasi Ardua, vel quod condentibus urbem auspicium fuit ardea avis, vel ab Ardea, filio Ulixis et Circes, vel ab Ardea, rege Rutulorum, qui duxit Danaën."

Audiamus jam Heyne in Excursu 7. Libri VII, narrantem: „Turni itaque originem poeta a Danaë, Acrisii regis Argivorum filia, Persei matre, repetiit: fabulam vulgarem secutus, qua Ardea a Danaë, Persei matre, condita credebatur", et eodem loco in fine: „Ut tollantur obscuritates hujus stirpis, apponere placet stemma ex Vergilio adumbratum", in quo Pilumnum, quartum illum Turni patrem, ejus avum facit patremque Veniliae, qua in re non perspicuum tamen est quomodo Turnus Latino consanguineus sit, quem sobrinum Amatae dicit. Et pro iis quae scribit Preller, Rom. Myth. II, pg. 330; „Die argivische Danaë soll zur Zeit des Pilumnus in ihrem Kasten an dieses Land getrieben sein und mit ihm Ardea gegründet haben, daher Turnus bei Virgil zu einem Abkommeling der alte Heröen von Argos und Mycene geworden ist", legere equidem malim: „Argiva Danaë a Vergilio dux facta est colonorum, qui Ardeam condiderant, ut eo modo Turnum Inachi Acrisii progeniem fingere posset."

His collectis historia fabulae haec mihi videtur. Vergilius hoc egit ut virum praeclarum Turnum fingeret, et ut consilium suum assequeretur, eum filium Veniliae, subolem Pilumni fecit, qui olim dii, nomina jam deorum facti erant; ei patrem attribuit Daunum, quo nomine rex Apuliae olim appellatus erat. Porro amat eum cum Iliadis Achille conferre, cf. Aen. VI, 89: „Alius Latio jam partus Achilles", IX, 742: „Incipe (Turnus ait) si qua animo virtus et con-

sere dextram. Hic etiam inventum Priamo narrabis Achille". Praeterea monstrat Turnum illum Graecum esse, qui nova causa excitatus inveteratum Graecorum in Trojanos odium fovet, etiam in Italiae oris. Victi gloria gloriam victoris auget: huic legi Vergilius optime obsecutus est.

Ubi Amatam pinxit, toto animo Latino persuadere conantem ut non Aeneae sed Turno Laviniam uxorem daret, in summa oratione dicentem: „Et Turno Inachus Acrisiusque patres, mediaeque Mycenae", non liquet utrum haec verba ex ardore materni amoris sint orta an ex alio poetae figmento. Potest enim fieri — et ad hanc suspicionem verbis: „Audacis Rutuli ad muros, quam dicitur urbem Acrisoneis Danaë fundasse colonis" adducimur — ut poëta, Daunum patris nomen explicare conantem, Danaës appulsum ad Italiae littora transtulerit.

Ex his quisque sibi quod placeat eligat. Mihi satis est ostendisse quam fabulae partem Vergilius paratam invenerit, quid ipse finxerit ex repertis, quid recentiores ex ejus figmento composuerint.

V.

Tyrrhus.

Tyrrhus, regii armenti magister a nullo scriptore nisi a Cn. Gellio, cf. Auct. d. or. gent. Rom. cp. 16: „Interim Lavinia, ab Aenea gravida relicta, metu, veluti insecuturi se Ascanii, in

silvam profugit ad magistrum patrii pecoris, Tyrrhum, ibique enixa est puerum, qui a loci qualitate Silvius est dictus" et a Dionysio I, 70, commemoratus est, qui post Aeneae mortem eum Laviniae tutorem facit, quem tamen Servius ad Aen. VI, 760: „Cujus (Ascanii) Lavinia timens insidias, gravida confugit ad silvas et latuit in casa pastoris Tyrri", eundem esse ac Vergilii Tyrrhum affirmat. Vergilius solus eum Laurentum ducem vocavit, qui primi ob cervum vulneratum Trojanos aggrediuntur. Tyrrhus ille magno cum strepitu in scenam prodit cf. Aen. VII, 508; copiis ejus profligatis filioque caeso sine ulla causa ipse ab illa recedit et Turnus postea Laurentum dux est, cf. Aen. VIII, 1. Sic Tyrrhus et Laurentes in Turni ditionem redacti et cum Rutulis commixti sunt. Poëta igitur nomen Tyrrhi ab aliis recepit, sed ipse novum ei munus imposuit.

VI.

Mezentius.

Inter Aeneae Trojanorumque infestissimos hostes Mezentius profecto post Turnum principem locum tenet. Quamquam eum, ut supra vidimus, contra omnium testimonia mox interemtum Vergilius finxit, jam nobis in fidem est inquirendum, qua in illo pingendo usus est.

De illo legimus Verg. VII, 647: „Primus iuit bellum

Tyrrhenis asper ab oris Contemptor divom Mezentius agminaque armat. Filius huic juxta Lausus .... dignus patriis qui laetior esset Imperiis, et cui pater haud Mezentius esset", VIII, 481: „Hanc (Agyllam) multos florentem annos rex deinde superbo Imperio et saevis tenuit Mezentius armis. Quid memorem infandas caedes, quid facta tyranni Effera? di capiti ipsius generique reservent! Mortua quin etiam jungebat corpora vivis, Componens manibusque manus atque oribus ora, Tormenti genus, et sanie taboque fluentes Complexu in misero longa sic morte necabat", X, 689: „In Mezentium ardentem omnes Tusci, qui oderunt eum, inruunt."

In hac ejus indolis descriptione agnoscimus verba Catonis; cf. Macr. Sat. III, 5, 10: „ait enim (Cato) Mezentium Rutulis imperasse ut sibi obferrent, quas diis primitias obferrebant, et Latinos omnes similis imperii metu ita vovisse: „Juppiter, si tibi magis cordi est nos ea tibi dare potius quam Mezentio, uti nos victores facias." Quae eadem A. Postumius et I. Caesar narrasse videntur; cf. Auct. d. or. gent. Rom. cp 15: „Itaque vino ex omni vindemia Jovi publice voto consecratoque Latini eruperunt, fusoque presidio interfectoque Lauso Mezentium fugam facere coegerunt. Is postea per legatos amicitiam societatemque Latinorum impetravit." Deinde quum Plinius XIV, 88 testatur Varronem scripsisse: „Mezentium Etruriae regem auxilium Rutulis contra Latinos tulisse vini mercede, quod tum in Latino agro fuisset"; quum porro nobis ab Augustino, in libro contra Julianum Pelagianum IV, 15 verba e Ciceronis Hortensio relata sunt haec: „verumque sit illud, quod est apud Aristotelem, simili nos adfectos supplicio atque eos, qui quondam cum in praedonum Etruscorum manibus

quibus addenda sunt verba Amatae VII, 365: „quid cura antiqua tuorum, Et consanguines toties data dextera Turno?" Latinique, XII, 29: „Victus amore tui, cognato sanguine victus", e quibus patet Vergilium Turno Daunum patrem, Veniliam matrem, Pilumnum avum vel abavum et cum Latino cognationem ascripsisse. Sed Amata quoque, quum pro Turno deprecatur ejusque et peregrinitatem et habilitatem laudat Latino, dicit VII, 371: „Et Turno, si prima domus repetatur origo, Inachus Acrisiusque patres, mediaeque Mycenae". Fungens vice patris, aetate gravis, Rutulorum rex erat, quorum caput Ardea, VII, 407: „Protinus hinc fuscis tristis dea (Allecto) tollitur alis Audacis Rutuli ad muros, quam dicitur urbem Acrisoneis Danaë fundasse colonis, Praecipiti delata Noto. Locus Ardea quondam Dictus avis; et nunc magnum tenet Ardea nomen; Sed fortuna fuit. Tectis his Turnus in altis Jam mediam nigra carpebat nocte quietem."

Turni stemma, quamquam ipsum eum Cato in Originibus, ut supra vidimus, commemorat, a nullo alio antiquo scriptore nisi a L. Calpurnio Pisone Frugi traditum videtur; cf. Auct. de or. gent. Rom. cap. 13 (Krause pg. 146): „Piso quidem Turnum matruelem fuisse Amatae tradit, interfectoque Latino mortem ipsam sibimet conscivisse." Hoc ipsum ad Vergilii commentum refutandum sufficiat si probari possit quod Servius annotat ad Aen. VI, 90: „Natus et ipse dea i. e. de Venilia, sorore Amatae." Ut enim Turnus matruelis esset Amatae non ejus sororis sed fratris filius esse deberet, nam secundum Servium et Pomponium Sabinum, dicentes Amatam Veniliamque sorores, Turnus Amatae consobrinus fuit. Quod tamen e Vergilii narratione non liquet.

Turnus apud Vergilium est suboles Pilumni, de quo Piso (Krause 146): „Pilumnum dicta, quia pellat mala infantiae", tradiderat et Varro, secundum Serv. X, 76: „Varro Pilumnum et Picumnum infantium deos esse ait, iisque pro puerpera lectum in atrio sterni, dum exploretur an vitalis sit, qui natus est", et X, 4: „Pilumnus et Picumnus fratres fuerunt et dii; horum Picumnus usum stercandorum invenit agrorum unde et Sterquilinus dictus est, Pilumnus vero pinsendi frumenti, unde a pistoribus colitur. Ab ipso etiam pilum dictum est. Varro conjugales deos suspicatur." Hunc Augustinus secutus est in Civ. D. VI, 9: „Intercidonam, Pilumnum, Deverramque" componens.

De Venilia fabulae exstant in quibus modo Nympha a Jano amata cf. Ovid. Met. XIV, 334, modo ut Salacia, Neptuni uxor dicitur cf. Varro L.L. V, 72: „Salacia Neptuni a salo, Venilia a veniendo ac ventu illo, quem Plautus dicit: „Quod ibi dixit, qui secundo vento vectus est Tranquillo mari: ventum gaudeo"," et in libro Rerum Div. cf. Aug. C.D. IV, 11: „Praesit fortuitis voceturque Fortuna — de spe, quae venit Venilia", et „spes cum conciliata non frustra esset et evenisset [Veniliae sacrifica]bantur, quam deam cum Neptuno conjungunt multi", modo igitur „Spei dea". Ex quibus relationibus quamvis variatis conjicere tamen licet Vergilium Turnum divinae matri subdidisse. Accedit quod a paterna parte quoque familiae minime contemnendae ascriptus est. Quum enim Amatam audimus: „Et Turno Inachus Acrisiusque patres, mediaeque Mycenae", et poëtam Allectus iter describentem VII, 409: „Audacis Rutuli ad muros, quam dicitur urbem Acrisoneis Danaë fundasse colonis", quomodo cum his Daunus, Turni pater, conjunc-

tus sit rogare cogimur. Mirum figmentum hic offendimus.

Danaës fabulam nobis commentator Apollonii Rhodii, Arg. IV, 1091, tradidit: „Φερεκύδης ἐν δωδεκάτῳ ἱστορεῖ ὡς Ἀκρίσιος γαμεῖ Εὐρυδίκην, τὴν Λακεδαίμονος, τῶν δὲ γίνεται Δανάη.... Ὁ (Ἀκρίσιος) δὲ οὐ πείθεται, ἀλλ' ἐς λάρνακα ἐμβιβάζει αὐτὴν (Δανάην) μετὰ τοῦ παιδὸς (Περσέως), καὶ κλείσας κατακρυπτεῖ. Καὶ φερόμενοι ἀφικνοῦνται εἰς Σέριφον τὴν νῆσον· καὶ αὐτοὺς ἐξέλκει Δίκτυς ὁ Περιστθένους, δικτύῳ ἁλιτεύων. Εἶτα ἡ Δανάη ἀνοίξαι ἱκετεύει τὴν λάρνακα. Ὁ δὲ, ἀνοίξας, καὶ μαθὼν οἵτινές εἰσιν, ἄγει εἰς τὴν οἴκον, καὶ τρέφει ὡς ἂν συγγενεῖς αὐτοῦ ὄντας." Eodem fere modo haec Apollodorus in Βιβλιοθήκῃ II, 2, 1, 4 narrat.

Ovidius, quamquam saepe Danaën commemorat nusquam ejus in Italiam adventum tradit. Turnus ubique ei rex est Rutulorum de cujus gente nihil narrat, nisi quod legitur Fast. I, 463: „Turni soror" i. e. Juturna, et IV, 879: „Turnus an Aeneas Latiae gener Amatae bellum erat". De Ardea legimus Met. XIV, 573: „Cadit Ardea, Turno Sospite dicta potens. Quam postquam Dardanus ignis Abstulit, et tepida latuerunt tecta favilla, Congerie e media tum primum cognita praepes Subvolat, ... nomen quoque mansit in illa Urbis: et ipsa suis deplangitur Ardea alis."

Dionysius tradit I, 72: „Ξεναγόρας δὲ ὁ συγγραφεύς (φησιν) Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης υἱοὺς γενέσθαι τρεῖς, Ῥωμον, Ἀντίαν, Ἀρδέαν, οἰκίσαντες δὲ τρεῖς πόλεις ἀφ' ἑαυτῶν θέσθαι τοῖς κτίσμασι τὰς ὀνομασίας."

Ita ne aequales quidem Vergilii neque de Dauno hoc neque de Danaë, quae Ardeam condidisset, mentionem faciunt, et poëta noster ex nominum similitudine haec primus mihi lepidissime finxisse videtur, ut illustrem originem Turno etiam a patris parte affingeret. Danaë, in arca

maris fluctibus jactata, perinde ad Italiam atque ad insulam Seryphum appellere potuit, majorque gloria Turno attribuitur si illa sedem ejus condit. Talia autem poetis concessa sunt; commentatores autem videant ne quid res et humanae et divinae detrimenti accipiant. Quae hi composuerunt perquiremus, postquam citavi locos Plinii N.H. III, 57: „Ardea a Danaë, Persei matre, condita est", et XXXV, 139: „Artemon (pinxit) Danaën mirantibus eam praedonibus."

Servius narrat ad Aen. VII, 372: „Danaë Acrisii regis Argivorum filia, postquam est a Jove vitiata, pater eam intra arcam inclusam praecipitavit in mare, quae delata ad Italiam inventa est a piscatore cum Perseo, quem illa enixa fuerat, et oblata regi [Pilumno], qui eam sibi fecit uxorem, cum qua etiam Ardeam condidit, a quibus Turnum vult originem ducere", et 412: „Magnum tenet Ardea nomen, bene allusit. Nam „ardea", quasi „ardua" dicta est, i. e. magna et nobilis; licet Hyginus in Italicis urbibus ab augurio avis ardeae (Ardeam) dictam velit. Illud namque Ovidii in Metamorphosibus fabulosum est, incensam ab Annibale (Aenea) Ardeam in hanc avem esse conversam. Sciendum tamen Ardeam κατ' ἀντίφρασιν dictam, quod brevitate pennarum altius non volat".

Pomponius autem Sabinus VII, 371 „Acrisiusque: post commissum a Jove stuprum Acrisius rex Argorum indignatus filiam Danaën capsula inclusam projecit in mare, quae vecta est in Latium et a piscatoribus accepta puella, quae jam pepererat intus Perseum. Puella data fuit regi Rutulorum, qui, ubi genus audivit, duxit uxorem. Hac duce Rutuli duxere Ardeam coloniam. Ardea dicta est ab Ardea, filio Ulyssis et Circes. Acrisius fuit de genere Inachi, pater

Danaës in cujus gremium descendit Jupiter liquefactus in aurum et cum puella coivit", et ibid.: „Ardea, quasi Ardua, vel quod condentibus urbem auspicium fuit ardea avis, vel ab Ardea, filio Ulixis et Circes, vel ab Ardea, rege Rutulorum, qui duxit Danaën."

Audiamus jam Heyne in Excursu 7. Libri VII, narrantem: „Turni itaque originem poeta a Danaë, Acrisii regis Argivorum filia, Persei matre, repetiit: fabulam vulgarem secutus, qua Ardea a Danaë, Persei matre, condita credebatur", et eodem loco in fine: „Ut tollantur obscuritates hujus stirpis, apponere placet stemma ex Vergilio adumbratum", in quo Pilumnum, quartum illum Turni patrem, ejus avum facit patremque Veniliae, qua in re non perspicuum tamen est quomodo Turnus Latino consanguineus sit, quem sobrinum Amatae dicit. Et pro iis quae scribit Preller, Rom. Myth. II, pg. 330; „Die argivische Danaë soll zur Zeit des Pilumnus in ihrem Kasten an dieses Land getrieben sein und mit ihm Ardea gegründet haben, daher Turnus bei Virgil zu einem Abkommeling der alte Heröen von Argos und Mycene geworden ist", legere equidem malim: „Argiva Danaë a Vergilio dux facta est colonorum, qui Ardeam condiderant, ut eo modo Turnum Inachi Acrisii progeniem fingere posset."

His collectis historia fabulae haec mihi videtur. Vergilius hoc egit ut virum praeclarum Turnum fingeret, et ut consilium suum assequeretur, eum filium Veniliae, subolem Pilumni fecit, qui olim dii, nomina jam deorum facti erant; ei patrem attribuit Daunum, quo nomine rex Apuliae olim appellatus erat. Porro amat eum cum Iliadis Achille conferre, cf. Aen. VI, 89: „Alius Latio jam partus Achilles", IX, 742: „Incipe (Turnus ait) si qua animo virtus et con-

sere dextram. Hic etiam inventum Priamo narrabis Achille". Praeterea monstrat Turnum illum Graecum esse, qui nova causa excitatus inveteratum Graecorum in Trojanos odium fovet, etiam in Italiae oris. Victi gloria gloriam victoris auget: huic legi Vergilius optime obsecutus est.

Ubi Amatam pinxit, toto animo Latino persuadere conantem ut non Aeneae sed Turno Laviniam uxorem daret, in summa oratione dicentem: „Et Turno Inachus Acrisiusque patres, mediaeque Mycenae", non liquet utrum haec verba ex ardore materni amoris sint orta an ex alio poetae figmento. Potest enim fieri — et ad hanc suspicionem verbis: „Audacis Rutuli ad muros, quam dicitur urbem Acrisoneis Danaë fundasse colonis" adducimur — ut poëta, Daunum patris nomen explicare conantem, Danaës appulsum ad Italiae littora transtulerit.

Ex his quisque sibi quod placeat eligat. Mihi satis est ostendisse quam fabulae partem Vergilius paratam invenerit, quid ipse finxerit ex repertis, quid recentiores ex ejus figmento composuerint.

V.

Tyrrhus.

Tyrrhus, regii armenti magister a nullo scriptore nisi a Cn. Gellio, cf. Auct. d. or. gent. Rom. cp. 16: „Interim Lavinia, ab Aenea gravida relicta, metu, veluti insecuturi se Ascanii, in

silvam profugit ad magistrum patrii pecoris, Tyrrhum, ibique enixa est puerum, qui a loci qualitate Silvius est dictus" et a Dionysio I, 70, commemoratus est, qui post Aeneae mortem eum Laviniae tutorem facit, quem tamen Servius ad Aen. VI, 760: „Cujus (Ascanii) Lavinia timens insidias, gravida confugit ad silvas et latuit in casa pastoris Tyrri", eundem esse ac Vergilii Tyrrhum affirmat. Vergilius solus eum Laurentum ducem vocavit, qui primi ob cervum vulneratum Trojanos aggrediuntur. Tyrrhus ille magno cum strepitu in scenam prodit cf. Aen. VII, 508; copiis ejus profligatis filioque caeso sine ulla causa ipse ab illa recedit et Turnus postea Laurentum dux est, cf. Aen. VIII, 1. Sic Tyrrhus et Laurentes in Turni ditionem redacti et cum Rutulis commixti sunt. Poëta igitur nomen Tyrrhi ab aliis recepit, sed ipse novum ei munus imposuit.

VI.

Mezentius.

Inter Aeneae Trojanorumque infestissimos hostes Mezentius profecto post Turnum principem locum tenet. Quamquam eum, ut supra vidimus, contra omnium testimonia mox interemtum Vergilius finxit, jam nobis in fidem est inquirendum, qua in illo pingendo usus est.

De illo legimus Verg. VII, 647: „Primus init bellum

Tyrrhenis asper ab oris Contemptor divom Mezentius agminaque armat. Filius huic juxta Lausus .... dignus patriis qui laetior esset Imperiis, et cui pater haud Mezentius esset", VIII, 481: „Hanc (Agyllam) multos florentem annos rex deinde superbo Imperio et saevis tenuit Mezentius armis. Quid memorem infandas caedes, quid facta tyranni Effera? di capiti ipsius generique reservent! Mortua quin etiam jungebat corpora vivis, Componens manibusque manus atque oribus ora, Tormenti genus, et sanie taboque fluentes Complexu in misero longa sic morte necabat", X, 689: „In Mezentium ardentem omnes Tusci, qui oderunt eum, inruunt."

In hac ejus indolis descriptione agnoscimus verba Catonis; cf. Macr. Sat. III, 5, 10: „ait enim (Cato) Mezentium Rutulis imperasse ut sibi obferrent, quas diis primitias obferrebant, et Latinos omnes similis imperii metu ita vovisse: „Juppiter, si tibi magis cordi est nos ea tibi dare potius quam Mezentio, uti nos victores facias." Quae eadem A. Postumius et I. Caesar narrasse videntur; cf. Auct. d. or. gent. Rom. cp 15: „Itaque vino ex omni vindemia Jovi publice voto consecratoque Latini eruperunt, fusoque presidio interfectoque Lauso Mezentium fugam facere coegerunt. Is postea per legatos amicitiam societatemque Latinorum impetravit." Deinde quum Plinius XIV, 88 testatur Varronem scripsisse: „Mezentium Etruriae regem auxilium Rutulis contra Latinos tulisse vini mercede, quod tum in Latino agro fuisset"; quum porro nobis ab Augustino, in libro contra Julianum Pelagianum IV, 15 verba e Ciceronis Hortensio relata sunt haec: „verumque sit illud, quod est apud Aristotelem, simili nos adfectos supplicio atque eos, qui quondam cum in praedonum Etruscorum manibus

incidissent, crudelitate excogitata necabantur, quorum corpora viva cum mortuis, adversa adversis accommodata, quam optissime colligabantur; sic nostros animos cum corporibus copulatos ut vivos cum mortuis esse conjunctos", et a Servio Aen. VIII, 479: „Hi diu piraticam exercuerunt ut etiam Cicero in Hortensio docet, cum captivos novis poenis affligerent, occisorum eos religantes cadaveribus", facile intelligimus, etiamsi ei animum mitiorem tribuit X, 844—906, quibus e fontibus ut talem Mezentium delinearet, hauserit poëta.

De vitae ejus conditione non tam congruentes fabulae traditae sunt. Ille deorum contemptor nobis a Vergilio, VIII, 489 sqq. proponitur ab Agyllinis expulsus, confugiens ad Turnum Rutulosque, quibus contra Laurentes Trojanosque auxiliatur. Si haec comparamus cum Catonis Postumiique narrationibus, patet poëtam neutram harum secutum esse, quum solus Mezentium ab Agyllinis expulsum, amicum Turni, nobis proposuerit, quae mutatio neque ab aequalibus neque a scriptoribus posterioribus est repetita. Apud Livium enim legimus I, 2, 3: „Inde Turnus Rutulique, diffisi rebus ad florentes opes Etruscorum Mezentiumque regem eorum confugiunt, qui Caere, opulento tum oppido imperitans .... haud gravatim socia arma Rutulis junxit"; apud Dion. I, 65: „*τοῦ δὲ βασιλέως τῶν Τυῤῥήνων .... Μεσέντιος δὲ σὺν ὀλίγοις λόφον τινὰ καταλαβὼν .... ὡς ἐν ἀπορίᾳ χρήματος ἔπεμψε κήρυκας εἰς τὸ Λαουΐνιον περὶ φιλίας διαλεξομένους*"; apud Ovidium Fast. IV, 880: „Etruscas Turnus adoptat opes. Clarus erat sumptisque ferox Mezentius armis, Quem Rutuli Turnusque suis asciscere temptant Partibus. Haec contra dux ita Tuscus ait". Omnes igitur Mezentium regem Etruscorum dicunt, quod

repetit Justin. XLIII, 1, 13: „Bellum deinde adversus Mezentium, Etruscorum regem gessit; in quo cum ipse (Aeneas) occidisset, in locum ejus Ascanius filius successit." Hac relationes omnes aptae sunt ad demonstrandum fabulam traditam a Vergilio detorsam esse.

Indagemus hujus mutationis causam. Mezentius ab Agyllinis expulsus a poëta dicitur. Hoc „ab Agyllinis" nos ad veritatem ducere videtur. Invenimus Aen. VIII, 478: „Urbis Agyllinae sedes, ubi Lydia quondam gens bello praeclara, jugis insedit Etruscis", quare hujus regionis viri, 499: „Maeoniae delecta juventus", XI, 759: „Ducis (Tarchontis) exemplum eventumque secuti Maeonidae incurrunt", vocantur, quorum longaevum haruspicem fata canentem audimus VIII, 502: „Nulli fas Italo (Mezentio) tantam subjungere gentem."

Jam Herodotus narraverat I, 94 Lydorum partem, fame coactam, duce Tyrrheno, ad Umbros migrasse, seque Tyrrhenos nominasse, quod Servius refert Aen. VIII, 479: „Maeoniam provinciam esse, cujus dum brevitas duos fratres Lydum et Tyrrhenum ferre non posset, ex sorte Tyrrhenus cum ingenti multitudine profectus partem Italiae tenuit et Tyrrheniam nominavit." Hucusque tradita secutus est Vergilius. Sed quum legimus apud Dionys. III, 58: „*ἐπὶ τὴν Καιρητανῶν πόλιν ἦγε (βασιλεὺς Ταρκύνιος) τὴν δύναμιν, ἡ πρότερον μὲν Ἀγυλλα ἐκαλεῖτο, Πελασγῶν αὐτὴν κατοικούντων, ὑπὸ δὲ Τυῤῥηνοῖς γενομένη Καίρητα μετωνομάσθη*" et I, 64: „*καὶ σὺν αὐτοῖς (Ῥοτόλοις) βασιλεὺς Τυῤῥηνῶν Μεσέντιος*", apud Strabonem V, pg. 220: „*Ἀγυλλα γὰρ ὠνομάζετο τὸ πρότερον ἡ νῦν Καιρέα, καὶ λέγεται Πελασγῶν κτίσμα τῶν Θετταλίας ἀφιγμένων. τῶν δὲ Λυδῶν, οἵπερ Τυῤῥηνοὶ μετωνομάσθησαν, ἐπιστρατευσάντων τοῖς Ἀγυλλαίοις, προσιὼν τῷ τείχει*

τις ἐπυνθάνετο τοὔνομα τῆς πόλεως, τῶν δ' ἀπὸ τοῦ τείχους Θετταλῶν τινος ἀντὶ τοῦ ἀποκρίνασθαι προσαγορεύσαντος αὐτὸν „χαῖρε", δεξάμενοι τὸν οἰωνὸν οἱ Τυρρ̣ηνοὶ τοῦτον ἁλοῦσαν τὴν πόλιν μετωνόμασαν", discimus Agyllam, quum Tyrrheni sive Etrusci ea potiti sunt, nomen Caere accepisse. Deinde ex Vergilii Aen. VIII, 597: „Est ingens gelidum lucus prope Caeritis amnem", patet eum hanc nominis mutationem post Mezentium expulsum posuisse. Si hujus mutationis causam quaerimus, historia ipsa responsum dat. Caere jam antiquissimis temporibus Romae socium fuisse tradunt Livius (V, 40, 50 cett.) aliique rerum scriptores, referentes urbem hospitio publico receptam esse 390 a Chr., quod Roma a Gallis incensa conjuges, liberos aliamque turbam bello inutilem urbe excedentem, praesertim vero populi Romani sacra sacerdotesque recepissent. Ne hanc memoriam violaret, ne maculis urbem, quae in tantis augustiis tantam benevolentiam praestitisset, adspergeret, integramque ei famam servaret, urbi Caere nomen priscum Agyllae ascripsit eandemque ob causam ex ea Mezentium expulsum finxit, ne ipsis Etruscis res esset cum deorum contemptore, acerbissimo Aeneae sacra in Latium transferentis hoste. Haec ut assequeretur poeta, indolem Mezentii saevum crudelemque, ut a prioribus descripta erat, servavit, ejus tamen vitae conditionem magna cum licentia mutavit.

VII.

Aventinus.

Aventinus ille, filius Herculis, a nullo alio scriptore commemoratus est. Apud multos autem invenitur Aventinus, successor Romuli Silvii, Albae Longae undecimi regis. Ne Varro quidem, qui varias derivationes nominis tradidit, inter has Aventini nomen rettulit, cf. L. L. V, 43. Quam ob causam illum Aventinum poetae figmentum esse existimo. Nemo tamen hoc figmentum ut ingeniosum laudabit, qui eam mutatis tantum nominibus e fabula de Romulo Remoque ortam intellexerit, quia Rheae Rheae Silviae, Herculi Martis, Aventino gemellorum persona data est.

VIII.

Tiburtus, Coras, Catillus.

Scripsit Vergilius Aen. VII, 670: „Tum gemini fratres Triburtia moenia linquunt, Fratris Tiburti dictam cognomine gentem Catillusque acerque Coras, Argiva juventus", cf. XI, 464, 603, 640.

Apud Solinum cp. 2, 7, haec invenimus: „Tibur autem sicut Cato testimonium facit a Catillo Arcade, praefecto

classis Evandri conditum est, sicut Sextius: ab Argivo juventute; Catillus enim, Amphiarai filius post prodigialem patris apud Thebas interitum, Oilei avi jussu cum omni fetu ver sacrum missus, tres liberos in Italia procreavit, Tiburtum, Coram, Catillum, qui depulsis ex oppido Siciliae veteribus Sicanis a nomine Tiburti fratris natu maximi urbem vocaverunt". Dionysius narrat I, 16: „ὡς δ' ἅπαξ οὗτοι (καθιερωθέντες ὑπὸ τῶν Ἀβοριγίνων) χωρίων τινῶν τῆς πολεμίας ἐκράτησαν, ἐκ τοῦ ἀσφαλεστέρου ἤδη καὶ οἱ λοιποὶ Ἀβοριγῖνες, οἱ δεόμενοι γῆς, τῆς κατὰ σφᾶς ἕκαστοι ἐπεχείρουν τοῖς ὁμόροις· καὶ πόλεις ἔκτισαν ἄλλας τέ τινας, καὶ τὰς μέχρι τοῦδε οἰκουμένας, Ἀντεμνάτας τε καὶ Τελληνεῖς, καὶ Φικολνέους τοὺς πρὸς τοῖς καλουμένοις Κορνίκλοις ὄρεσι, καὶ Τιβουρτινους, παρ' οἷς ἔτι καὶ εἰς τόδε χρόνου μέρος τι τῆς πόλεως ὀνομάζεται Σικελίων." Plinius tradit N.H. XVI, 237: „Tiburtes quoque originem multo ante urbem Romam habent. Apud eos extant ilices tres etiam Tiburno conditore eorum vetustiores, apud quos inauguratus traditur; fuisse autem eum tradunt filium Amphiarai, qui apud Thebas obierit una aetate ante Iliacum bellum". Porphyrio autem tradit ad Horat. Carm. I, 13: „Tiburnus conditor Tiburis est, cujus fratres Catillus et Coras, quorum Vergilius meminit", quibus verbis Vergilius hujus fabulae auctor indicari videtur. Servius VII, 670: „de Graecia tres fratres venerunt ad Italiam: Catillus, Coras, Tibur vel Tiburnus. Hi simul omnes unam fecere civitatem et eam de fratris majoris (maximi) nomine Tibur appellaverunt, licet et alias fecerint singuli. Nunc ergo dicit (Verg.) duos ad bella venisse, dimisso in civitate ad custodiam Tiburte vel Tiburno" et 672: „Catillus, unde mons Catilli dicitur, quem „Catelli" dicunt per corruptionem; Coras, a cujus nomine est civitas in Italia."

Donec nescimus, quis ille Sextius fuerit, a Solino citatus, non constituere possumus utrum ex illo Vergilius an ille ex Vergilio hauserit. Neque liquet quomodo Amphiaraus, cui Hom. Odys. XV, 248: „τοῦ (Ἀμφιαράου) δ' υἱεῖς ἐγένοντ' Ἀλκμαίων Ἀμφίλοχός τε," duos filios igitur tribuit, trium filiorum pater factus sit, neque quomodo et Alcmeon, de quo legimus apud Thucyd. II, 102: „καὶ κατοικισθεὶς (Ἀλκμέων τοῦ Ἀμφιάρεω) ἐς τοὺς περὶ Οἰνιάδας τόπους ἐδυνάστευσέ τε καὶ ἀπ' Ἀκαρνᾶνος παιδὸς ἑαυτοῦ τῆς χώρας τὴν ἐπωνυμίαν ἐγκατέλιπεν, τὰ μὲν περὶ Ἀλκμέωνα τοιαῦτα λεγόμενα παρελάβομεν" apudque Apollodor. III, 7, 2: „οἱ δὲ ἡγεμόνα Ἀλκμαίωνα ἑλόμενοι Θήβας ἐπολέμουν. ἦσαν δὲ οἱ στρατευόμενοι οἵδε, Ἀλκμαίων καὶ Ἀμφίλοχος Ἀμφιαράου", et Amphilochus, cf. Thucyd. II, 68: „Ἄργος τὸ Ἀμφιλοχικὸν καὶ Ἀμφιλοχίαν τὴν ἄλλην ἔκτισε μετὰ τὰ Τρωϊκὰ οἰκαδε ἀναχωρήσας καὶ οὐκ ἀρεσκόμενος τῇ ἐν Ἄργει καταστάσει Ἀμφίλοχος ὁ Ἀμφιάρεω ἐν τῷ Ἀμπρακικῷ κόλπῳ, ὁμώνυμον τῇ ἑαυτοῦ πατρίδι Ἄργος ὀνομασας" e Graecia in Italiam migraverint.

Ut in aliis locis ita hic quoque Vergiliana fingendi facultas mihi novarum fabularum mater fuisse videtur.

IX.

Caeculus.

De Caeculo et de Praeneste legimus apud Verg. VII, 678: „Nec Praenestinae fundator defuit urbis, Volcano genitum pecora inter agrestia regem Inventumque focis

omnis quem credidit aetas, Caeculus", X, 543: „Instaurant acies Volcani stirpe creatus Caeculus et veniens Marsorum montibus Umbro", et VIII, 558: „Tum pater Evander dextram complexus euntis Haeret, inexpletus lacrimans ac talia fatur: O! mihi praeteritos referat si Juppiter annos! Qualis eram, quum primam aciem Praeneste sub ipsa Stravi scutorumque incendi victor acervos, Et regem hac Erilum dextra sub Tartara misi, Nascenti cui tres animas Feronia mater — Horrendum dictu! — dederat."

Duas fabulas igitur poëta commemorat. Una de Evandri bello contra Erilum, altera de Caeculo Praenestis fundatore. De Erilo autem nemo scriptorum mentionem fecit et libenter Servium sequor docentem Aen. VIII, 564: „Hoc autem loco per tres animas magnum et perfectum (Verg.) indicat virum. Nam quantum ad fabulam pertinet tres animas propter tria habuit corpora. Attendum sane, hoc sibi Evandrum vindicare, quod fuit in Hercule. Nam ut ille Geryonem extinxit, ita hic Herilem occidit." Sed quum idem narrat 562: „Evandrum in Italiam venientem, Herilus rex Praenestinus auxilio suorum civium voluit expellere, quos vicit Evander et Herilum interfecit et interfectorum clypeos combussit", facile est intellectu eum historiam e verbis poetae finxisse. Nam si Vergilius Herilum Praenestis regem vocasset, inter se repugnantia scripsisset. Caeculus ei fundator est urbis; Caeculus, quem Evander senex contra Aeneam incedere videt, quamquam juvenis jam alium Praenestis regem cum militibus prostravisset. Haec dissentiunt. Est tamen commentatoris, non Vergilii mendum, qui Herilum regem dicit aliorum populorum, qui ceciderat eo loco, ubi postea Caeculus urbem condidit; quod poeta ei Feroniam matrem assignando indicat, quae

erat (cf. Liv. XXVI, 11: „inde ad lucum Feroniae pergit ire, templum ea tempestate inclutum divitiis, Capenates aliique accolae ejus erant", et Dion. III, 32: „ἱερόν ἐστι κοινῇ τιμώμενον ὑπὸ Σαβίνων τε καὶ Λατίνων, ἅγιον ἐν τοῖς πάνυ, θεᾶς Φερωνείας ὀνομαζομένης") aut Dea, culta ad radices montis Soractis, aut Nympha (cf. Acro in Horat. Sat. I, 5, 24: „Fanum Feroniae est in tertio miliario a Terracina", et Plin. N.H. II, 146: „In Italia inter Terracinam et aedem Feroniae", et Serv. VIII, 564: „Nympha Campaniae; haec etiam libertorum dea est in cujus templo raso capite pileum accipiebant").

De Caeculo et de Praeneste tamen antiquiores fabulae circumferebantur. Legimus in Schol. Veron. ad Verg. Aen. VII, 681: „Cato ait Caeculum virgines aquam petentes in foco invenisse ideoque Vulcani [filium eum ex]istimasse et quod oculos exiguos haberet, Caeculum appellatum, hic collecticiis pastoribus urbem Praeneste fundavit", apud Serv. Aen. VII, 682: „Cato dicit, quia is locus montibus praestet, Praeneste oppido nomen dedit" et 678: „Ibi (Praeneste) erant Pontifices et dii Indigetes sicut etiam Romae. Erant etiam duo fratres, qui divi appellabantur. Horum soror dum ad focum sederet, dissiliens scintilla ejus uterum percussit, unde dicitur concepisse. Postea enixa puerum juxta templum Jovis abjecit, quem virgines aquatum euntes juxta ignem inventum sustulerunt, qui a fonte haud longe erat. Hic postea collecta multitudine, postquam diu latrocinatus est, Praenestinam civitatem in montibus condidit. Et cum ad ludos vicinos populos invitasset, coepit eos hortari, ut secum habitarent et pro gloria jactare se filium esse Vulcani. Quod quum illi non crederent, invocato Vulcano, ut eum filium suum comprobaret omnis illius

multitudinis coetus est flamma circumdatus. Quo facto commoti omnes simul habitaverunt et Vulcani filium esse crediderunt". Apud Strabonem legimus V, 238: „Πραινεστὸν γεῦν Πελυστέφανον καλεῖσθαι πρότερον", quod Plinius repetit III, 64: „Praenestini, urbe quondam Stephane dicta", apud Plutarchum, Parallela, i. f.: „Τηλέγονος, Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης, ἐπὶ ἀναζήτησιν τοῦ πατρὸς πεμφθείς, ἔμαθε πόλιν κτίσαι ἔνθα ἂν ἴδῃ γεωργοὺς ἐστεφανωμένους καὶ χορεύοντας. Γενόμενος γὰρ κατά τινα τόπον τῆς Ἰταλίας, καὶ θεασάμενος ἀγρίκους πρινίνοις κλάδοις ἐστεφανομένους καὶ ὄρχησι προσεπαιρόντας, ἔκτισε πόλιν ἀπὸ τοῦ (συκορημάτος?) Πρίνιστον ὀνομάσας, τὴν Ῥωμαῖοι παραγώγως Πραίνεστον καλοῦσιν (ὡς ἱστορεῖ Ἀριστοκλῆς ἐν τρίτῳ Ἰταλικῶν (?))"; apud Solinum II, 9: „Praeneste, ut Zenodotus refert, a Praeneste Ulyssis nepote, Latini filio, aut, ut Praenestini sonant libri a Caeculo, quem juxta igneis fortuitos invenerunt, ut fama est, Digitiorum sorores"; denique apud Servium VII, 678: „Praeneste est locum haud longe ab urbe, dictus ἀπὸ τῶν πρίνων i. e. ab ilicibus, quae illic abundant". E quibus patet hic quoque duo fabularum genera viguisse, aliud Latinum, aliud Graecum et Vergilium domesticum secutum esse.

X.

Messapus.

Verg. Aen. VII, 691: „At Messapus, equum domitor, Neptunia proles, Quem neque fas igni cuiquam nec sternere ferro, Jam pridem resides populos desuetaque bello Agmina in arma vocat subito, ferrumque retractat."

Unde poëta Messapum illum, regem Fescenninorum aliorumque, petiverit in tenebris jacet. Ne commentatores quidem lucem afferunt. Servius quae invenerat repetit: „Hic Messapus per mare ad Italiam venit. Unde Neptuni dictus est filius, quem invulnerabilem ideo dicit, quia nusquam periit nec in bello. Ignem autem ei nocere non posse propter Neptunum dicit, qui aquarum deus est. Ab hoc Ennius dicit se originem ducere." Ennius tamen ipse cecinerat: „Nos sumu' Romani, qui fuimus ante Rudini"; itaque de Messapo cogitavit, qui nomen suum Messapiis dedit, cf. Strab. IX, 405, Plin. N.H. III, 99, Solin. II, 12. Quum pergit Servius: „unde (ab Ennio) nunc et cantantes inducit ejus socios et eos comparat cycnis", mihi errare videtur. Hi enim socii non ex Ennio sed e Fescenninis ipsis „canentes" nominati mihi videntur, de quibus ipse annotat 695: „Fescennium oppidum est, ubi nuptialia inventa sunt carmina", de quibus Horatius scripserat Ep. II, 1, 145: „Fescennina per hunc invecta licentia morem (messes celebratas) Versibus alternis opprobia rustica fudit."

Sic Messapi nomen rursus ex alia fabula depromsit poëta.

XI.

Clausus.

Scripsit Vergilius Aen. VII, 706: „Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum Agmen agens Clausus magnique ipse agminis instar, Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis", et Aen. X, 345: „Hic Curibus, fidens primaevo corpore, Clausus Advenit."

In his verbis fabula omnino domestica nobis ante oculos proposita videtur; nullam vocem Graece sonantem invenimus; Roma, Latium, ager Sabinus, Claudia gens, nomina haec sunt conjunctissima vernaculaque. Attamen nemo scriptorum omnium, ne Cicero quidem, cui saepius occasio oblata erat, ante Vergilium de hac nominis mutatione mentionem facit, at post illum nullus fere rerum actarum scriptor fabulam omittit.

Legimus enim apud Dionys. Lib. V, 40: „*ἀνήρ τις ἐκ τοῦ Σαβίνων ἔθνους, πόλιν οἰκῶν Ῥήγιλλον, εὐγενὴς καὶ χρήμασι δυνατὸς, Τίτος Κλαύδιος, αὐτομολεῖ πρὸς αὐτοὺς, συγγένειάν τε μεγάλην ἐπαγόμενος*"; apud Livium Lib. II, 16, 3: „Seditio inter belli pacisque auctores orta in Sabinis aliquantum inde virium transtulit ad Romanos, namque Attus Clausus cui postea Appio Claudio fuit Romae nomen, ... a vicino Regillo, magna clientium comitatus manu, Romam transfugit, ... Appius inter patres lectus haud ita multo post in principum dignationem pervenit" et X, 8: „Sabinum advenam, principem nobilitati vestrae, seu Attum Clausum

seu App. Claudium mavultis, illi antiqui patricii in suum numerum acceperunt." Tacitus ubi narrat Ann. IV, 9: „Memoriae Drusi eadem quae in Germanicum decernuntur, plerisque additis, ut ferme amat posterior adulatio. Funus imaginum pompa maxime illustre fuit, cum origo Italiae gentis Aeneas omnesque Albanorum reges et conditor urbis Romulus, post Sabina nobilitas, Attus Clausus ceteraeque Claudiorum effigies longo ordine spectarentur" et Ann. XI, 24: „Majores mei, (sic Claudius Imperator loquitur) quorum antiquissimus Clausus, origine Sabina, sqq.", nos certiores facit Attum Clausum inter Caesarum majores esse adscitum. Quod confirmatur a Suetonio, scribente in Vitae Tiberii cap. I: „Patricia gens Claudia orta est ex Regillis, oppido Sabinorum. Inde Romam recens conditam cum magna clientium manu commigravit, auctore Tito Tatio consorte Romuli, vel, quod magis constat, Atta Claudio gentis principe, post reges exactos sexto fere anno" et a Plutarcho Vit. Parr. VIII, 21, 2: „*ἦν οὖν Ἄππιος Κλαῦσος ἐν Σαβίνοις ἀνὴρ χρήμασί τε δυνατὸς καὶ σώματος ῥώμῃ πρὸς ἀλκὴν ἐπιφανής, ... πεντακισχιλίους οἴκους ἀναστήσας μετὰ παίδων καὶ γυναικῶν .... εἰς Ῥώμην ἦγε· Ποπλικόλας .... τῷ δὲ Κλαύσῳ πλέθρα πέντε καὶ εἴκοσι γῆς ἔδωκεν, αὐτὸν δὲ τῇ βουλῇ προσέγραψεν, ἀρχὴν πολιτείας λαμβάνοντα ταύτην, ἣ χρώμενος ἐμφρόνως ἀνέδραμεν εἰς τὸ πρῶτον ἀξίωμα καὶ δύναμιν ἔσχε μεγάλην, καὶ γένος οὐδενὸς ἀμαυρότερον ἐν Ῥώμῃ τὸ Κλαυδίων ἀφ' αὐτοῦ κατέλιπεν.*"

Quamquam asseverare non audeo Vergilium ne hic quidem antiquiorem fabulam ante oculos habuisse, miror tamen omnes scriptores fere diversa nomina tradidisse, quum poëta solus hunc Clausum e Curibus, alii omnes e Regillo ortum dicant, quae varietates profecto mihi

dubitationem afferunt. Etsi hoc „Curibus" licentiae poeticae amorique ornandi ascribere licet, qui Regillo Cures praetulit, quia et ab his Quirites appellati sunt (cf. Liv. I, 13, 5) et Regilli nomen injucundiorem memoriam renovaret (cf. Liv. I, 18, 9). Clausus tamen ille mihi Vergilii figmentum quoque videtur, cui cordi erat gentem Claudianam extollere e qua Tiberius Drususque, privigni Augusti, orti erant per Liviam, quam ei Tiberius Claudius Nero uxorem concederat. Quod figmentum et a scriptoribus et a principibus magno cum amore acceptum repetitumque videtur.

XII.

Halaesus.

Verg. Aen. VII, 723: „Hinc Agamemnonius, Trojani nominis hostis, Curru jungit Halaesus equos, Turnoque feroces Mille rapit populos", et Aen. X, 417: „Fata cavens silvis genitor celarat Halaesum, ut senior leto canentia lumina solvit, Injicere manum Parcae, telisque sacrarunt Evandri."

De Halaeso plures fabulas circumlatas esse nos Ovidius docet Amor. III, 13, 31: „.... Agamemnone caeso Et scelus et patrias fugit Halaesus opes: Jamque pererratis profugus terraque fretoque moenia felici condidit alta manu. Ille suos docuit Junonia sacra Faliscos. Sint mihi, sint

populo semper amica suo", et Fast. IV, 73: „Venerat Atridae fatis agitatus Halaesus, a quo se dictam terra Falisca putat", quibus verbis consentiunt Solinus, II, 7: „Quis ignorat, ab Haleso Argivo conditam Faliscam, a Falerio Argivo Falerios?", et Servius ad Aen. VII, 695: „Faliscos Halesus condidit. Nam posteritas in multis nominibus F pro H posuit; sicut „febris" dicitur, quae ante „hebris" dicebatur; „Formiae" quae „Hormiae" fuerunt *ἀπὸ τῆς ὁρμῆς.*" E quibus tamen patet Vergilium solum Halaesum ducem vocasse populorum in agro Falerno habitantium, quum Ovidius aliique eum conditorem Faleriorum vel Faliscae nominaverint. Utrum hic quoque finxerit Vergilius an ex antiquioribus sed perditis fontibus hauserit quis decernet?

XIII.

Oebalus.

Vergilius, Aen. VII, 733 sqq., Oebalum filium Telonis, Capreae regis, quam antea Teleboae occupaverant et Sebethidis Nymphae dicit. De Telebois Apollonii commentator tradiderat ad I, 747: „*Ἡ Τάφος νῆσος ἐστὶ μία τῶν Ἐχινάδων, ἣν ᾤκησαν Τηλεβόαι, οἱ πρότερον τὴν Ἀκαρνανίαν οἰκοῦντες, ἄνδρες λῃστρικώτατοι τὸν τρόπον .... Τηλεβόαι οὖν οἱ Τάφιοι, ἢ ἀπὸ Τηλεβόου, τοῦ Πτερέλα*", et Apollodorus II, 4, 5, 2: „*Ταυτὴν (Ἱπποθόην) ἁρπάσας Ποσειδῶν καὶ κομίσας ἐπὶ τὰς*

omnis quem credidit aetas, Caeculus", X, 543: „Instaurant acies Volcani stirpe creatus Caeculus et veniens Marsorum montibus Umbro", et VIII, 558: „Tum pater Evander dextram complexus euntis Haeret, inexpletus lacrimans ac talia fatur: O! mihi praeteritos referat si Juppiter annos! Qualis eram, quum primam aciem Praeneste sub ipsa Stravi scutorumque incendi victor acervos, Et regem hac Erilum dextra sub Tartara misi, Nascenti cui tres animas Feronia mater — Horrendum dictu! — dederat."

Duas fabulas igitur poëta commemorat. Una de Evandri bello contra Erilum, altera de Caeculo Praenestis fundatore. De Erilo autem nemo scriptorum mentionem fecit et libenter Servium sequor docentem Aen. VIII, 564: „Hoc autem loco per tres animas magnum et perfectum (Verg.) indicat virum. Nam quantum ad fabulam pertinet tres animas propter tria habuit corpora. Attendum sane, hoc sibi Evandrum vindicare, quod fuit in Hercule. Nam ut ille Geryonem extinxit, ita hic Herilem occidit." Sed quum idem narrat 562: „Evandrum in Italiam venientem, Herilus rex Praenestinus auxilio suorum civium voluit expellere, quos vicit Evander et Herilum interfecit et interfectorum clypeos combussit", facile est intellectu eum historiam e verbis poetae finxisse. Nam si Vergilius Herilum Praenestis regem vocasset, inter se repugnantia scripsisset. Caeculus ei fundator est urbis; Caeculus, quem Evander senex contra Aeneam incedere videt, quamquam juvenis jam alium Praenestis regem cum militibus prostravisset. Haec dissentiunt. Est tamen commentatoris, non Vergilii mendum, qui Herilum regem dicit aliorum populorum, qui ceciderat eo loco, ubi postea Caeculus urbem condidit; quod poeta ei Feroniam matrem assignando indicat, quae

erat (cf. Liv. XXVI, 11: „inde ad lucum Feroniae pergit ire, templum ea tempestate inclutum divitiis, Capenates aliique accolae ejus erant", et Dion. III, 32: „ἱερόν ἐστι κοινῇ τιμώμενον ὑπὸ Σαβίνων τε καὶ Λατίνων, ἅγιον ἐν τοῖς πάνυ, θεᾶς Φερωνείας ὀνομαζομένης") aut Dea, culta ad radices montis Soractis, aut Nympha (cf. Acro in Horat. Sat. I, 5, 24: „Fanum Feroniae est in tertio miliario a Terracina", et Plin. N.H. II, 146: „In Italia inter Terracinam et aedem Feroniae", et Serv. VIII, 564: „Nympha Campaniae; haec etiam libertorum dea est in cujus templo raso capite pileum accipiebant").

De Caeculo et de Praeneste tamen antiquiores fabulae circumferebantur. Legimus in Schol. Veron. ad Verg. Aen. VII, 681: „Cato ait Caeculum virgines aquam petentes in foco invenisse ideoque Vulcani [filium eum ex]istimasse et quod oculos exiguos haberet, Caeculum appellatum, hic collecticiis pastoribus urbem Praeneste fundavit", apud Serv. Aen. VII, 682: „Cato dicit, quia is locus montibus praestet, Praeneste oppido nomen dedit" et 678: „Ibi (Praeneste) erant Pontifices et dii Indigetes sicut etiam Romae. Erant etiam duo fratres, qui divi appellabantur. Horum orror dum ad focum sederet, dissiliens scintilla ejus uterum percussit, unde dicitur concepisse. Postea enixa puerum iuxta templum Jovis abjecit, quem virgines aquatum euntes iuxta ignem inventum sustulerunt, qui a fonte haud longe erat. Hic postea collecta multitudine, postquam diu latrocinatus est, Praenestinam civitatem in montibus condidit. Et cum ad ludos vicinos populos invitasset, coepit eos hortari, ut secum habitarent et pro gloria jactare se filium esse Vulcani. Quod quum illi non crederent, invocato Vulcano, ut eum filium suum comprobaret omnis illius

multitudinis coetus est flamma circumdatus. Quo facto commoti omnes simul habitaverunt et Vulcani filium esse crediderunt". Apud Strabonem legimus V, 238: „Πραινεστὸν γοῦν Πολυστέφανον καλεῖσθαι πρότερον", quod Plinius repetit III, 64: „Praenestini, urbe quondam Stephane dicta", apud Plutarchum, Parallela, i. f.: „Τηλέγονος, Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης, ἐπὶ ἀναζήτησιν τοῦ πατρὸς πεμφθείς, ἔμαθε πόλιν κτίσαι ἔνθα ἂν ἴδῃ γεωργοὺς ἐστεφανωμένους καὶ χορεύοντας. Γενόμενος γὰρ κατά τινα τόπον τῆς Ἰταλίας, καὶ θεασάμενος ἀγροίκους πρινίνοις κλάδοις ἐστεφανομένους καὶ ὄρχησι προσευκαιροῦντας, ἔκτισε πόλιν ἀπὸ τοῦ (συκορημάτος?) Πρίνιστον ὀνομάσας, τὴν Ῥωμαῖοι παραγώγως Πραίνεστον καλοῦσιν (ὡς ἱστορεῖ Ἀριστοκλῆς ἐν τρίτῳ Ἰταλικῶν (?))"; apud Solinum II, 9: „Praeneste, ut Zenodotus refert, a Praeneste Ulyssis nepote, Latini filio, aut, ut Praenestini sonant libri a Caeculo, quem juxta igneis fortuitos invenerunt, ut fama est, Digitiorum sorores"; denique apud Servium VII, 678: „Praeneste est locum haud longe ab urbe, dictus ἀπὸ τῶν πρίνων i. e. ab ilicibus, quae illic abundant". E quibus patet hic quoque duo fabularum genera viguisse, aliud Latinum, aliud Graecum et Vergilium domesticum secutum esse.

Verg. Aen. VII, 691: „At Messapus, equum domitor, Neptunia proles, Quem neque fas igni cuiquam nec sternere ferro, Jam pridem resides populos desuetaque bello Agmina in arma vocat subito, ferrumque retractat."

Unde poëta Messapum illum, regem Fescenninorum aliorumque, petiverit in tenebris jacet. Ne commentatores quidem lucem afferunt. Servius quae invenerat repetit: „Hic Messapus per mare ad Italiam venit. Unde Neptuni dictus est filius, quem invulnerabilem ideo dicit, quia nusquam periit nec in bello. Ignem autem ei nocere non posse propter Neptunum dicit, qui aquarum deus est. Ab hoc Ennius dicit se originem ducere." Ennius tamen ipse cecinerat: „Nos sumu' Romani, qui fuimus ante Rudini"; itaque de Messapo cogitavit, qui nomen suum Messapiis dedit, cf. Strab. IX, 405, Plin. N.H. III, 99, Solin. II, 12. Quum pergit Servius: „unde (ab Ennio) nunc et cantantes inducit ejus socios et eos comparat cycnis", mihi errare videtur. Hi enim socii non ex Ennio sed e Fescenninis ipsis „canentes" nominati mihi videntur, de quibus ipse annotat 695: „Fescennium oppidum est, ubi nuptialia inventa sunt carmina", de quibus Horatius scripserat Ep. II, 1, 145: „Fescennina per hunc invecta licentia morem (messes celebratas) Versibus alternis opprobia rustica fudit."

Sic Messapi nomen rursus ex alia fabula depromsit poëta.

XI.

Clausus.

Scripsit Vergilius Aen. VII, 706: „Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum Agmen agens Clausus magnique ipse agminis instar, Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis", et Aen. X, 345: „Hic Curibus, fidens primaevo corpore, Clausus Advenit."

In his verbis fabula omnino domestica nobis ante oculos proposita videtur; nullam vocem Graece sonantem invenimus; Roma, Latium, ager Sabinus, Claudia gens, nomina haec sunt conjunctissima vernaculaque. Attamen nemo scriptorum omnium, ne Cicero quidem, cui saepius occasio oblata erat, ante Vergilium de hac nominis mutatione mentionem facit, at post illum nullus fere rerum actarum scriptor fabulam omittit.

Legimus enim apud Dionys. Lib. V, 40: „*ἀνήρ τις ἐκ τοῦ Σαβίνων ἔθνους, πόλιν οἰκῶν Ῥήγιλλον, εὐγενὴς καὶ χρήμασι δυνατὸς, Τίτος Κλαύδιος, αὐτομολεῖ πρὸς αὐτοὺς, συγγένειάν τε μεγάλην ἐπαγόμενος*"; apud Livium Lib. II, 16, 3: „Seditio inter belli pacisque auctores orta in Sabinis aliquantum inde virium transtulit ad Romanos, namque Attus Clausus cui postea Appio Claudio fuit Romae nomen, ... a vicino Regillo, magna clientium comitatus manu, Romam transfugit, ... Appius inter patres lectus haud ita multo post in principum dignationem pervenit" et X, 8: „Sabinum advenam, principem nobilitati vestrae, seu Attum Clausum

seu App. Claudium mavultis, illi antiqui patricii in suum numerum acceperunt." Tacitus ubi narrat Ann. IV, 9: „Memoriae Drusi eadem quae in Germanicum decernuntur, plerisque additis, ut ferme amat posterior adulatio. Funus imaginum pompa maxime illustre fuit, cum origo Italiae gentis Aeneas omnesque Albanorum reges et conditor urbis Romulus, post Sabina nobilitas, Attus Clausus ceteraeque Claudiorum effigies longo ordine spectarentur" et Ann. XI, 24: „Majores mei, (sic Claudius Imperator loquitur) quorum antiquissimus Clausus, origine Sabina, sqq.", nos certiores facit Attum Clausum inter Caesarum majores esse adscitum. Quod confirmatur a Suetonio, scribente in Vitae Tiberii cap. I: „Patricia gens Claudia orta est ex Regillis, oppido Sabinorum. Inde Romam recens conditam cum magna clientium manu commigravit, auctore Tito Tatio consorte Romuli, vel, quod magis constat, Atta Claudio gentis principe, post reges exactos sexto fere anno" et a Plutarcho Vit. Parr. VIII, 21, 2: „*ἦν οὖν Ἄππιος Κλαῦσος ἐν Σαβίνοις ἀνὴρ χρήμασί τε δυνατὸς καὶ σώματος ῥώμῃ πρὸς ἀλκὴν ἐπιφανής, ... πεντακισχιλίους οἴκους ἀναστήσας μετὰ παίδων καὶ γυναικῶν . . . . εἰς Ῥώμην ἦγε· Ποπλικόλας . . . . τῷ δὲ Κλαύσῳ πλέθρα πέντε καὶ εἴκοσι γῆς ἔδωκεν, αὐτὸν δὲ τῇ βουλῇ προσέγραψεν, ἀρχὴν πολιτείας λαμβάνοντα ταύτην, ἣ χρώμενος ἐμφρόνως ἀνέδραμεν εἰς τὸ πρῶτον ἀξίωμα καὶ δύναμιν ἔσχε μεγάλην, καὶ γένος οὐδενὸς ἀμαυρότερον ἐν Ῥώμῃ τὸ Κλαυδίων ἀΦ' αὐτοῦ κατέλιπεν.*"

Quamquam asseverare non audeo Vergilium ne hic quidem antiquiorem fabulam ante oculos habuisse, miror tamen omnes scriptores fere diversa nomina tradidisse, quum poëta solus hunc Clausum e Curibus, alii omnes e Regillo ortum dicant, quae varietates profecto mihi

τις ἐπυνθάνετο τοὔνομα τῆς πόλεως, τῶν δ' ἀπὸ τοῦ τείχους Θετταλῶν τινος ἀντὶ τοῦ ἀποκρίνασθαι προσαγορεύσαντος αὐτὸν „χαῖρε", δεξάμενοι τὸν οἰωνὸν οἱ Τυρρηνοὶ τοῦτον ἁλοῦσαν τὴν πόλιν μετωνόμασαν", discimus Agyllam, quum Tyrrheni sive Etrusci ea potiti sunt, nomen Caere accepisse. Deinde ex Vergilii Aen. VIII, 597: „Est ingens gelidum lucus prope Caeritis amnem", patet eum hanc nominis mutationem post Mezentium expulsum posuisse. Si hujus mutationis causam quaerimus, historia ipsa responsum dat. Caere jam antiquissimis temporibus Romae socium fuisse tradunt Livius (V, 40, 50 cett.) aliique rerum scriptores, referentes urbem hospitio publico receptam esse 390 a Chr., quod Roma a Gallis incensa conjuges, liberos aliamque turbam bello inutilem urbe excedentem, praesertim vero populi Romani sacra sacerdotesque recepissent. Ne hanc memoriam violaret, ne maculis urbem, quae in tantis augustiis tantam benevolentiam praestitisset, adspergeret, integramque ei famam servaret, urbi Caere nomen priscum Agyllae ascripsit eandemque ob causam ex ea Mezentium expulsum finxit, ne ipsis Etruscis res esset cum deorum contemptore, acerbissimo Aeneae sacra in Latium transferentis hoste. Haec ut assequeretur poeta, indolem Mezentii saevum crudelemque, ut a prioribus descripta erat, servavit, ejus tamen vitae conditionem magna cum licentia mutavit.

VII.

Aventinus.

Aventinus ille, filius Herculis, a nullo alio scriptore commemoratus est. Apud multos autem invenitur Aventinus, successor Romuli Silvii, Albae Longae undecimi regis. Ne Varro quidem, qui varias derivationes nominis tradidit, inter has Aventini nomen rettulit, cf. L. L. V, 43. Quam ob causam illum Aventinum poetae figmentum esse existimo. Nemo tamen hoc figmentum ut ingeniosum laudabit, qui eam mutatis tantum nominibus e fabula de Romulo Remoque ortam intellexerit, quia Rheae Rheae Silviae, Herculi Martis, Aventino gemellorum persona data est.

VIII.

Tiburtus, Coras, Catillus.

Scripsit Vergilius Aen. VII, 670: „Tum gemini fratres Tiburtia moenia linquunt, Fratris Tiburti dictam cognomine gentem Catillusque acerque Coras, Argiva juventus", cf. XI, 464, 603, 640.

Apud Solinum cp. 2, 7, haec invenimus: „Tibur autem sicut Cato testimonium facit a Catillo Arcade, praefecto

classis Evandri conditum est, sicut Sextius: ab Argivo juventute; Catillus enim, Amphiarai filius post prodigialem patris apud Thebas interitum, Oilei avi jussu cum omni fetu ver sacrum missus, tres liberos in Italia procreavit, Tiburtum, Coram, Catillum, qui depulsis ex oppido Siciliae veteribus Sicanis a nomine Tiburti fratris natu maximi urbem vocaverunt". Dionysius narrat I, 16: „ὡς δ' ἅπαξ οὗτοι (καθιερωθέντες ὑπὸ τῶν Ἀβοριγίνων) χωρίων τινῶν τῆς πολεμίας ἐκράτησαν, ἐκ τοῦ ἀσφαλεστέρου ἤδη καὶ οἱ λοιποὶ Ἀβοριγῖνες, οἱ δεόμενοι γῆς, τῆς κατὰ σφᾶς ἕκαστοι ἐπεχείρουν τοῖς ὁμόροις· καὶ πόλεις ἔκτισαν ἄλλας τέ τινας, καὶ τὰς μέχρι τοῦδε οἰκουμένας, Ἀντεμνάτας τε καὶ Τελληνεῖς, καὶ Φικολνέους τοὺς πρὸς τοῖς καλουμένοις Κορνίκλοις ὄρεσι, καὶ Τιβουρτίνους, παρ' οἷς ἔτι καὶ εἰς τόδε χρόνου μέρος τι τῆς πόλεως ὀνομάζεται Σικελίων." Plinius tradit N.H. XVI, 237: „Tiburtes quoque originem multo ante urbem Romam habent. Apud eos extant ilices tres etiam Tiburno conditore eorum vetustiores, apud quos inauguratus traditur; fuisse autem eum tradunt filium Amphiarai, qui apud Thebas obierit una aetate ante Iliacum bellum". Porphyrio autem tradit ad Horat. Carm. I, 13: „Tiburnus conditor Tiburis est, cujus fratres Catillus et Coras, quorum Vergilius meminit", quibus verbis Vergilius hujus fabulae auctor indicari videtur. Servius VII, 670: „de Graecia tres fratres venerunt ad Italiam: Catillus, Coras, Tibur vel Tiburnus. Hi simul omnes unam fecere civitatem et eam de fratris majoris (maximi) nomine Tibur appellaverunt, licet et alias fecerint singuli. Nunc ergo dicit (Verg.) duos ad bella venisse, dimisso in civitate ad custodiam Tiburte vel Tiburno" et 672: „Catillus, unde mons Catilli dicitur, quem „Catelli" dicunt per corruptionem; Coras, a cujus nomine est civitas in Italia."

Donec nescimus, quis ille Sextius fuerit, a Solino citatus, non constituere possumus utrum ex illo Vergilius an ille ex Vergilio hauserit. Neque liquet quomodo Amphiaraus, cui Hom. Odys. XV, 248: „τοῦ (Ἀμφιαράου) δ' υἱεῖς ἐγένοντ' Ἀλκμαίων Ἀμφίλοχός τε," duos filios igitur tribuit, trium filiorum pater factus sit, neque quomodo et Alcmeon, de quo legimus apud Thucyd. II, 102: „καὶ κατοικισθεὶς (Ἀλκμέων τοῦ Ἀμφιάρεω) ἐς τοὺς περὶ Οἰνιάδας τόπους ἐδυνάστευσέ τε καὶ ἀπ' Ἀκαρνᾶνος παιδὸς ἑαυτοῦ τῆς χώρας τὴν ἐπωνυμίαν ἐγκατέλιπεν, τὰ μὲν περὶ Ἀλκμέωνα τοιαῦτα λεγόμενα παρελάβομεν" apudque Apollodor. III, 7, 2: „οἱ δὲ ἡγεμόνα Ἀλκμαίωνα ἑλόμενοι Θήβας ἐπολέμουν. ἦσαν δὲ οἱ στρατευόμενοι οἵδε, Ἀλκμαίων καὶ Ἀμφίλοχος Ἀμφιαράου", et Amphilochus, cf. Thucyd. II, 68: „Ἄργος τὸ Ἀμφιλοχικὸν καὶ Ἀμφιλοχίαν τὴν ἄλλην ἔκτισε μετὰ τὰ Τρωϊκὰ οἰκαδε ἀναχωρήσας καὶ οὐκ ἀρεσκόμενος τῇ ἐν Ἄργει καταστάσει Ἀμφίλοχος ὁ Ἀμφιάρεω ἐν τῷ Ἀμπρακικῷ κόλπῳ, ὁμώνυμον τῇ ἑαυτοῦ πατρίδι Ἄργος ὀνομασας" e Graecia in Italiam migraverint.

Ut in aliis locis ita hic quoque Vergiliana fingendi facultas mihi novarum fabularum mater fuisse videtur.

IX.

Caeculus.

De Caeculo et de Praeneste legimus apud Verg. VII, 678: „Nec Praenestinae fundator defuit urbis, Volcano genitum pecora inter agrestia regem Inventumque focis

omnis quem credidit aetas, Caeculus", X, 543: „Instaurant acies Volcani stirpe creatus Caeculus et veniens Marsorum montibus Umbro", et VIII, 558: „Tum pater Evander dextram complexus euntis Haeret, inexpletus lacrimans ac talia fatur: O! mihi praeteritos referat si Juppiter annos! Qualis eram, quum primam aciem Praeneste sub ipsa Stravi scutorumque incendi victor acervos, Et regem hac Erilum dextra sub Tartara misi, Nascenti cui tres animas Feronia mater — Horrendum dictu! — dederat."

Duas fabulas igitur poëta commemorat. Una de Evandri bello contra Erilum, altera de Caeculo Praenestis fundatore. De Erilo autem nemo scriptorum mentionem fecit et libenter Servium sequor docentem Aen. VIII, 564: „Hoc autem loco per tres animas magnum et perfectum (Verg.) indicat virum. Nam quantum ad fabulam pertinet tres animas propter tria habuit corpora. Attendum sane, hoc sibi Evandrum vindicare, quod fuit in Hercule. Nam ut ille Geryonem extinxit, ita hic Herilem occidit." Sed quum idem narrat 562: „Evandrum in Italiam venientem, Herilus rex Praenestinus auxilio suorum civium voluit expellere, quos vicit Evander et Herilum interfecit et interfectorum clypeos combussit", facile est intellectu eum historiam e verbis poetae finxisse. Nam si Vergilius Herilum Praenestis regem vocasset, inter se repugnantia scripsisset. Caeculus ei fundator est urbis; Caeculus, quem Evander senex contra Aeneam incedere videt, quamquam juvenis jam alium Praenestis regem cum militibus prostravisset. Haec dissentiunt. Est tamen commentatoris, non Vergilii mendum, qui Herilum regem dicit aliorum populorum, qui ceciderat eo loco, ubi postea Caeculus urbem condidit; quod poeta ei Feroniam matrem assignando indicat, quae

erat (cf. Liv. XXVI, 11: „inde ad lucum Feroniae pergit ire, templum ea tempestate inclutum divitiis, Capenates aliique accolae ejus erant", et Dion. III, 32: „ἱερόν ἐστι κοινῇ τιμώμενον ὑπὸ Σαβίνων τε καὶ Λατίνων, ἅγιον ἐν τοῖς πάνυ, θεᾶς Φερωνείας ὀνομαζομένης") aut Dea, culta ad radices montis Soractis, aut Nympha (cf. Acro in Horat. Sat. I, 5, 24: „Fanum Feroniae est in tertio miliario a Terracina", et Plin. N.H. II, 146: „In Italia inter Terracinam et aedem Feroniae", et Serv. VIII, 564: „Nympha Campaniae; haec etiam libertorum dea est in cujus templo raso capite pileum accipiebant").

De Caeculo et de Praeneste tamen antiquiores fabulae circumferebantur. Legimus in Schol. Veron. ad Verg. Aen. VII, 681: „Cato ait Caeculum virgines aquam petentes in foco invenisse ideoque Vulcani [filium eum ex]istimasse et quod oculos exiguos haberet, Caeculum appellatum, hic collecticiis pastoribus urbem Praeneste fundavit", apud Serv. Aen. VII, 682: „Cato dicit, quia is locus montibus praestet, Praeneste oppido nomen dedit" et 678: „Ibi (Praeneste) erant Pontifices et dii Indigetes sicut etiam Romae. Erant etiam duo fratres, qui divi appellabantur. Horum soror dum ad focum sederet, dissiliens scintilla ejus uterum percussit, unde dicitur concepisse. Postea enixa puerum juxta templum Jovis abjecit, quem virgines aquatum euntes juxta ignem inventum sustulerunt, qui a fonte haud longe erat. Hic postea collecta multitudine, postquam diu latrocinatus est, Praenestinam civitatem in montibus condidit. Et cum ad ludos vicinos populos invitasset, coepit eos hortari, ut secum habitarent et pro gloria jactare se filium esse Vulcani. Quod quum illi non crederent, invocato Vulcano, ut eum filium suum comprobaret omnis illius

multitudinis coetus est flamma circumdatus. Quo facto commoti omnes simul habitaverunt et Vulcani filium esse crediderunt". Apud Strabonem legimus V, 238: „Πραινεστὸν γοῦν Πολυστέφανον καλεῖσθαι πρότερον", quod Plinius repetit III, 64: „Praenestini, urbe quondam Stephane dicta", apud Plutarchum, Parallela, i. f.: „Τηλέγονος, Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης, ἐπὶ ἀναζήτησιν τοῦ πατρὸς πεμφθεὶς, ἔμαθε πόλιν κτίσαι ἔνθα ἂν ἴδῃ γεωργοὺς ἐστεφανωμένους καὶ χορεύοντας. Γενόμενος γὰρ κατά τινα τόπον τῆς Ἰταλίας, καὶ θεασάμενος ἀγροίκους πρινίνοις κλάδοις ἐστεφανομένους καὶ ὄρχησι προσευκαιροῦντας, ἔκτισε πόλιν ἀπὸ τοῦ (συκορημάτος?) Πρίνιστον ὀνομάσας, τὴν Ῥωμαῖοι παραγώγως Πραίνεστον καλοῦσιν (ὡς ἱστορεῖ Ἀριστοκλῆς ἐν τρίτῳ Ἰταλικῶν (?))"; apud Solinum II, 9: „Praeneste, ut Zenodotus refert, a Praeneste Ulyssis nepote, Latini filio, aut, ut Praenestini sonant libri a Caeculo, quem juxta igneis fortuitos invenerunt, ut fama est, Digitiorum sorores"; denique apud Servium VII, 678: „Praeneste est locum haud longe ab urbe, dictus ἀπὸ τῶν πρίνων i. e. ab ilicibus, quae illic abundant". E quibus patet hic quoque duo fabularum genera viguisse, aliud Latinum, aliud Graecum et Vergilium domesticum secutum esse.

X.

Messapus.

Verg. Aen. VII, 691: „At Messapus, equum domitor, Neptunia proles, Quem neque fas igni cuiquam nec sternere ferro, Jam pridem resides populos desuetaque bello Agmina in arma vocat subito, ferrumque retractat."

Unde poëta Messapum illum, regem Fescenninorum aliorumque, petiverit in tenebris jacet. Ne commentatores quidem lucem afferunt. Servius quae invenerat repetit: „Hic Messapus per mare ad Italiam venit. Unde Neptuni dictus est filius, quem invulnerabilem ideo dicit, quia nusquam periit nec in bello. Ignem autem ei nocere non posse propter Neptunum dicit, qui aquarum deus est. Ab hoc Ennius dicit se originem ducere." Ennius tamen ipse cecinerat: „Nos sumu' Romani, qui fuimus ante Rudini"; itaque de Messapo cogitavit, qui nomen suum Messapiis dedit, cf. Strab. IX, 405, Plin. N.H. III, 99, Solin. II, 12. Quum pergit Servius: „unde (ab Ennio) nunc et cantantes inducit ejus socios et eos comparat cycnis", mihi errare videtur. Hi enim socii non ex Ennio sed e Fescenninis ipsis „canentes" nominati mihi videntur, de quibus ipse annotat 695: „Fescennium oppidum est, ubi nuptialia inventa sunt carmina", de quibus Horatius scripserat Ep. II, 1, 145: „Fescennina per hunc invecta licentia morem (messes celebratas) Versibus alternis opprobia rustica fudit."

Sic Messapi nomen rursus ex alia fabula depromsit poëta.

XI.

Clausus.

Scripsit Vergilius Aen. VII, 706: „Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum Agmen agens Clausus magnique ipse agminis instar, Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis", et Aen. X, 345: „Hic Curibus, fidens primaevo corpore, Clausus Advenit."

In his verbis fabula omnino domestica nobis ante oculos proposita videtur; nullam vocem Graece sonantem invenimus; Roma, Latium, ager Sabinus, Claudia gens, nomina haec sunt conjunctissima vernaculaque. Attamen nemo scriptorum omnium, ne Cicero quidem, cui saepius occasio oblata erat, ante Vergilium de hac nominis mutatione mentionem facit, at post illum nullus fere rerum actarum scriptor fabulam omittit.

Legimus enim apud Dionys. Lib. V, 40: „*ἀνήρ τις ἐκ τοῦ Σαβίνων ἔθνους, πόλιν οἰκῶν Ῥήγιλλον, εὐγενὴς καὶ χρήμασι δυνατὸς, Τίτος Κλαύδιος, αὐτομολεῖ πρὸς αὐτοὺς, συγγένειάν τε μεγάλην ἐπαγόμενος*"; apud Livium Lib. II, 16, 3: „Seditio inter belli pacisque auctores orta in Sabinis aliquantum inde virium transtulit ad Romanos, namque Attus Clausus cui postea Appio Claudio fuit Romae nomen, ... a vicino Regillo, magna clientium comitatus manu, Romam transfugit, ... Appius inter patres lectus haud ita multo post in principum dignationem pervenit" et X, 8: „Sabinum advenam, principem nobilitati vestrae, seu Attum Clausum

seu App. Claudium mavultis, illi antiqui patricii in suum numerum acceperunt." Tacitus ubi narrat Ann. IV, 9: „Memoriae Drusi eadem quae in Germanicum decernuntur, plerisque additis, ut ferme amat posterior adulatio. Funus imaginum pompa maxime illustre fuit, cum origo Italiae gentis Aeneas omnesque Albanorum reges et conditor urbis Romulus, post Sabina nobilitas, Attus Clausus ceteraeque Claudiorum effigies longo ordine spectarentur" et Ann. XI, 24: „Majores mei, (sic Claudius Imperator loquitur) quorum antiquissimus Clausus, origine Sabina, sqq.", nos certiores facit Attum Clausum inter Caesarum majores esse adscitum. Quod confirmatur a Suetonio, scribente in Vitae Tiberii cap. I: „Patricia gens Claudia orta est ex Regillis, oppido Sabinorum. Inde Romam recens conditam cum magna clientium manu commigravit, auctore Tito Tatio consorte Romuli, vel, quod magis constat, Atta Claudio gentis principe, post reges exactos sexto fere anno" et a Plutarcho Vit. Parr. VIII, 21, 2: „ἦν οὖν Ἄππιος Κλαῦσος ἐν Σαβίνοις ἀνὴρ χρήμασί τε δυνατὸς καὶ σώματος ῥώμῃ πρὸς ἀλκὴν ἐπιφανής, ... πεντακισχιλίους οἴκους ἀναστήσας μετὰ παίδων καὶ γυναικῶν .... εἰς Ῥώμην ἦγε· Ποπλικόλας .... τῷ δὲ Κλαύσῳ πλέθρα πέντε καὶ εἴκοσι γῆς ἔδωκεν, αὐτὸν δὲ τῇ βουλῇ προσέγραψεν, ἀρχὴν πολιτείας λαμβάνοντα ταύτην, ἣ χρώμενος ἐμφρόνως ἀνέδραμεν εἰς τὸ πρῶτον ἀξίωμα καὶ δύναμιν ἔσχε μεγάλην, καὶ γένος οὐδενὸς ἀμαυρότερον ἐν Ῥώμῃ τὸ Κλαυδίων ἀΦ' αὑτοῦ κατέλιπεν."

Quamquam asseverare non audeo Vergilium ne hic quidem antiquiorem fabulam ante oculos habuisse, miror tamen omnes scriptores fere diversa nomina tradidisse, quum poëta solus hunc Clausum e Curibus, alii omnes e Regillo ortum dicant, quae varietates profecto mihi

dubitationem afferunt. Etsi hoc „Curibus" licentiae poeticae amorique ornandi ascribere licet, qui Regillo Cures praetulit, quia et ab his Quirites appellati sunt (cf. Liv. I, 13, 5) et Regilli nomen injucundiorem memoriam renovaret (cf. Liv. I, 18, 9). Clausus tamen ille mihi Vergilii figmentum quoque videtur, cui cordi erat gentem Claudianam extollere e qua Tiberius Drususque, privigni Augusti, orti erant per Liviam, quam ei Tiberius Claudius Nero uxorem concederat. Quod figmentum et a scriptoribus et a principibus magno cum amore acceptum repetitumque videtur.

XII.

Halaesus.

Verg. Aen. VII, 723: „Hinc Agamemnonius, Trojani nominis hostis, Curru jungit Halaesus equos, Turnoque feroces Mille rapit populos", et Aen. X, 417: „Fata cavens silvis genitor celarat Halaesum, ut senior leto canentia lumina solvit, Injicere manum Parcae, telisque sacrarunt Evandri."

De Halaeso plures fabulas circumlatas esse nos Ovidius docet Amor. III, 13, 31: „.... Agamemnone caeso Et scelus et patrias fugit Halaesus opes: Jamque pererratis profugus terraque fretoque moenia felici condidit alta manu. Ille suos docuit Junonia sacra Faliscos. Sint mihi, sint

populo semper amica suo", et Fast. IV, 73: „Venerat Atridae fatis agitatus Halaesus, a quo se dictam terra Falisca putat", quibus verbis consentiunt Solinus, II, 7: „Quis ignorat, ab Haleso Argivo conditam Faliscam, a Falerio Argivo Falerios?", et Servius ad Aen. VII, 695: „Faliscos Halesus condidit. Nam posteritas in multis nominibus F pro H posuit; sicut „febris" dicitur, quae ante „hebris" dicebatur; „Formiae" quae „Hormiae" fuerunt *ἀπὸ τῆς ὁρμῆς.*" E quibus tamen patet Vergilium solum Halaesum ducem vocasse populorum in agro Falerno habitantium, quum Ovidius aliique eum conditorem Faleriorum vel Faliscae nominaverint. Utrum hic quoque finxerit Vergilius an ex antiquioribus sed perditis fontibus hauserit quis decernet?

XIII.

Oebalus.

Vergilius, Aen. VII, 733 sqq., Oebalum filium Telonis, Capreae regis, quam antea Teleboae occupaverant et Sebethidis Nymphae dicit. De Telebois Apollonii commentator tradiderat ad I, 747: „*Ἡ Τάφος νῆσος ἐστὶ μία τῶν Ἐχινάδων, ἣν ᾤκησαν Τηλεβόαι, οἱ πρότερον τὴν Ἀκαρνανίαν οἰκοῦντες, ἄνδρες λῃστρικώτατοι τὸν τρόπον .... Τηλεβόαι οὖν οἱ Τάφιοι, ἢ ἀπὸ Τηλεβόου, τοῦ Πτερέλα*", et Apollodorus II, 4, 5, 2: „*Ταυτὴν (Ἱπποθόην) ἁρπάσας Ποσειδῶν καὶ κομίσας ἐπὶ τὰς*

Ἐχινάδας νήσους μίγνυται, καὶ γεννᾷ Τάφιον, ὃς ᾤκισε Τάφον καὶ τοὺς λαοὺς Τηλεβόας ἐκάλεσεν, ὅτι τηλοῦ τῆς πατρίδος ἔβη." Eos Capreas migrasse Vergilius primus narrat. Telos, a nullo scriptore antea commemoratum, poeta ex Telebois deduxisse videtur et Tebethis Nympha ex rivo Sebetho, qui prope Neapolin in mare influit. Oebali nomen apud Apollodorum, Ovidium, Hyginumque invenimus sine ulla tamen cognatione cum Telone nostro. Figmentum de Telebois Capreas migrantibus Statius in Silv. III, 5, 105, Tacitusque in Ann. IV, 67 secuti sunt. Servius more suo, quae a Vergilio didicerat, confirmat.

XIV.

Ufens.

Ufens nomen fluminis videtur, quod Aequanorum duci assignavit poëta, ut VII, 532, e Latii flumine Almone, filium Tyrrhi Almonem; 535, e Bruttiorum flumine Galaeso, ditissimum Ausoniorum Galaesum; 752, Umbronem, XI, 670, Lirim e fluviis nominavit.

XV.

Umbro.

Umbro, nomen Etruriae fluminis, hic mira cum licentia duci sacerdotique Marruviorum datum est. Missus erat a rege Archippo, quod nomen quoque invenimus in fabula a Plinio servata, N.H. III, 108: „Gellianus auctor est lacu Fucino haustum Marsorum Archippe oppidum, conditum a Marsya duce Lydorum." Ei potestatem morsus serpentium sanandi eorumque irae sedandae attribuit, quae Marsis omnibus propria erat cf. Plin. N.H. XXV, 11; XXVIII, 19, 30. De genere narraverat Caelius Antipater, (Krause, frag. pg. 201): „Caelius Oetae treis filias Angitiam, Medeam et Circen dicit fuisse. Circen Circaeos insedisse monteis, carminum maleficiis varias imaginum facies mentientem; Angitiam vicina Fucino occupasse, ibique salubri scientia adversus morbos resistentem, cum desisset hominem vivere, deam habitam: Medeam ab Jasone Buthroti sepultam, filiumque ejus Marsis imperasse." Si jam legimus quae scripsit Servius ad Aen. VII, 750: „Medea quando relictis Colchis Jasonem secuta est, dicitur ad Italiam pervenisse; et populos quosdam, circa Fucinum ingentem lacum habitantes, qui Marrubii appellabantur, quasi „circa mare habitantes", propter paludis magnitudinem, docuit remedia contra serpentes. Quamquam alii Marrubios a rege dictos velint. Hi ergo populi Medeam Angitiam nominaverunt ab eo quod ejus carminibus serpentes angerent", exemplum fabulae currendo mutantis

nobis ante oculos versatur. Nam et Appollodorus I, 9, 1, 6 et Hyginus in Genealogia pg. 31 (ed. Bunte), communi consensu docent Circen, sororem Aeëtae, Medeae patris fuisse et de Angitia tacent; etiam narrant Apoll. I, 9, 28, 4; Hyg. fab. XXVI, Medeam Athenis Aegeo nupsisse, sed denuo exulantem Colchos rediisse. Sic igitur Angitia, olim fortasse dea praeses oppidi Angitiae, ob artem suam medicandi primum Medeae soror, deinde Medea facta, tandem ut Medea in Italiam translata est.

XVI.

Virbius.

In Aen. VII, 761 sqq. Vergilius Virbium unicum heroem, qui sine copiis Turno auxiliatur, describit. Narrat eum filium fuisse Ariciae Nymphae et Hippolyti, cui postquam ab Aesculapio a morte in vitam reductus et a Diana in nemore Nymphae Egeriae est relegatus, nomen Virbii inditum est. Filius igitur idem nomen quod pater gessit.

In Euripidis Hippolyto vs. 1423 jam dixerat Artemis: „Σοὶ δ' (Ἱππολύτῳ), ὦ ταλαίπωρ', ἀντὶ τῶνδε τῶν κακῶν Τιμὰς μεγίστας ἐν πόλει Τροιζηνίᾳ Δωσω· κόραι γὰρ ἄζυγες γάμων πάρος Κύμας κεροῦνταί σοι, δι' αἰῶνος μακροῦ Πένθη μέγιστα δακρύων καρπουμένῳ. Ἀεὶ δὲ μουσοποιὸς εἰς σὲ παρθένων Ἔσται μέριμνα, κ'οὐκ ἀνώνυμος πεσὼν Ἔρως ὁ Φαίδρας εἰς σὲ σιγηθήσεται." His quum addimus quae Apollodorus tradit III, 10,

8, 10: „εὗρον δέ τινας λεγομένους ἀναστῆναι ὑπ' αὐτοῦ (Ἀσκληπιοῦ).... Ἱππόλυτον, ὡς ὁ τὰ Ναυπακτικὰ συγγράψας λέγει," cuivis apparet Vergilium fabulae initia parata invenisse.

Nobis legentibus apud Catonem, Lib. II, fr. 21: „Lucum Dianium in nemore Aricino Egerius Laevius Tusculanus dedicavit dictator Latinus, hi populi communiter, Tusculanus, Aricinus sqq.," Dianam causam fuisse hujus in Ariciae lucum migrationis facile patet. De tempore tamen quo haec fabula in Italiam migraverit quaestio difficilior mihi videtur.

Viri docti et dubitant et inter se dissentiunt. Apud Heyne in Exc. 8, Lib. VII, legimus: „In eodem (i. e. Ariciae) Dianae templo heros indigena Virbius domestica religione cultus fuisse mihi videtur, quem ex aliqua seu formae et attributorum seu forte fabularum similitudine Hippolytum seriores interpretati sunt, nisi ad commentum illud nomen Virbii, bis vir, παλιμβίου, ritusque religiosus arcendi equos a luco duxit: ut veteris cladis memoriam renovari heroi nollent. Addita hinc narratio de Hippolyto e mortuis reducto et in nemus Aricinium a Diana abducto cf. Ovid. Met. XV, 532 sqq. Eam fabulam Aricinorum domesticam fuisse ex Pausania intelligitur Lib. II, 27."

Apud Merckel in prolegom. Fast. pg. 146: „Virbius tamen vicus appellatur a Livio I, 48, nec credo emendandum Urbius (M. Hertz. Orbius). Non sine causa Dianii meminisse Livius videtur. Virbius non semper pro Hippolyto habitus fortasse est et vetus fabula de heroe Italico equis tracto potuit transferri in regem a mulis calcatum, quo tempore illud pervulgari coepit, quod Ovidium a poeta vetustiori sumpsisse apparet Fast. VI, 595: „regiam rem scelus esse"," et pg. 213: „Fabulam Hippolyti delatam

esse in Italiam a Troezeniis, qui cum Achaeis Sybarin, mox ab his expulsi (Arist. polit. V, 2) Paestum condiderint, quod proximum est Neapoli coloniae Cumanorum, docte exposuit Clausen pg. 1163 sqq. Quod de lingua Osca commemoravi, quaerendum est, num ex Hippolyto Virbius evadere potuerit quemadmodum ex Hipponio urbe Vibo." Aristoteles tradiderat Polit. V, 2: „ὅσοι ἤδη συνοίκους ἐδέξαντο ἢ ἐποίκους, οἱ πλεῖστοι ἐστασίασαν· οἷον Τροιζηνίοις Ἀχαιοὶ συνῴκισαν Σύβαριν. εἶτα πλείους οἱ Ἀχαῖοι γενόμενοι ἐξέβαλον τοὺς Τροιζηνίους· ὅθεν τὸ ἄγος συνέβη τοῖς Συβαρίταις", et Clausen confirmat: „Die von ihnen mitgebrachten und vom Staat einmal anerkannten Heroëndienste sind nach ihrer Entfernung von den Sybariten gewisz nicht aufgegeben, zumal wenn sie durch Vermischung mit örtlichen Ueberlieferungen fester im Gebiete der Stadt gewurzelt waren."

Apud Preller I, pg. 134: „Neben der Diana wurde in diesem Haine ein männlicher Daemon Virbius verehrt, dessen Name wahrscheinlich mit den alten Viren d. h. der Alten Wald und Baumnymphen zusammenhangt. Man verglich ihn met den griechischen Hippolytus etc." Idem in nota citat Mommsen I.N. 2456, Orell. Inscr. 2212 et 4022, eadem haec continentes: „T. Cassio Mansvet Flamine Virb. Scrib. Aed. II, vir jur. dic. Cassia mtia patrueli." Sed omittit 1457, ubi legimus: „Dianae Sacrum M. Numisius M. F. O.V.T. Philippus flamen Virbialis et Aricinae Dianae Vestae dictae custos XII Kal. Junii Epul. Virbiae pub. dedit. N. signum Deae collocavit Imp. M. Antonino Commodo, Aug. V et Valerio Aurelio Glabrione css." (i. e. 186 p. Chr.).

Concedendum est viros doctos multum operae laborisque in nomine Virbio interpretando consumsisse, sed non possum

non credere fingendi facultatem poëtarum eos in errorem induxisse. Quum enim legamus apud Ciceronem, ubi agit de pactis promisisque utrum semper servanda sint an non, de Off. III, § 94: „Quid quod Theseus exegit promissum a Neptuno? Cui quum tres optationes Neptunus dedisset, optavit interitum Hippolyti, quum is patri suspectus esset de noverca; quo optato impetrato Theseus in maximis fuit luctibus", jure dubitari potest an non Cicero fabulam cognoverit. Nam Hippolytus e morte resurrectus, a Diana in luco receptus, non profecto hominis promisso servato infelicis exemplum dici potest, neque Cicero id citasset si Hippolytum meliore quam antea conditione uti scivisset.

Post Vergilium autem audiamus Ovidium Metam. XV, 541, ubi Hippolytus suam sortem narrat: „Delo Cretaque relictis. Hic posuit (Diana), nomenque simul, quod possit equorum Admonuisse, jubet deponere, „qui" que „fuisti Hippolytus", dixit „nunc idem Virbius esto." Hoc nemus inde colo, de disque minoribus unus Numine sub dominae lateo atque accenseor illi", iterumque Fast. VI, 755: „Lucus eum (Hippolytum) nemoris tui, Dictymna, recessus Celat: Aricino Virbius ille lacu."

Hyginus Hippolyti fabulam cp. XLVII usque ad ejus mortem narrat et postea cp. CCLI, agens de hominibus, qui licentia Parcarum ab inferis redierunt, scribit: „Hippolytus, Thesei filius, voluntate Dianae, qui postea Virbius est appellatus." Pausanias deinde, postquam narravit se apud Epidaurum in Aesculapii luco columnas inscriptionibus in ejus honorem ornatas invenisse, sic pergit, Lib. II, c. 27, 4: „*χωρὶς δὲ ἀπὸ τῶν ἄλλων ἐστιν ἀρχαία στήλη, ἵππους δὲ Ἱππόλυτον ἀναθεῖναι τῷ θεῷ φησὶν εἴκοσι.*

ταύτης τῆς στήλης τῷ ἐπιγράμματι ὁμολογοῦντα λεγοῦσιν Ἀρικιεῖς, ὡς τεθνεῶτα Ἱππόλυτον ἐκ τῶν Θησέως ἀρῶν ἀνέστησεν Ἀσκληπιός· ὁ δὲ ὡς αὖθις ἐβίω, οὐκ ἠξίου νέμειν τῷ πατρὶ συγγνώμην, ἀλλὰ ὑπεριδὼν τὰς δεήσεις ἐς Ἰταλίαν ἔρχεται παρὰ τοὺς Ἀρικιεῖς καὶ ἐβασίλευσέ τε αὐτόθι καὶ ἀνῆκε τῇ Ἀρτέμιδι τέμενος, ἔνθα ἄχρι ἐμοῦ μονομαχίας ἄθλον ἦν ἱεράσθαι τῇ θεῷ τὸν νικῶντα· ὁ δὲ ἀγὼν ἐλευθέρων μὲν προέκειτο οὐδενί, οἰκέταις δὲ ἀποδρᾶσι τοὺς δεσπότας", rursusque II, 32, 1, de Hippolyti cultu Troezene a Diomede instituto, de cirro ei a virginibus ante nuptias consecrato deque honore divino ei tributo, quem aurigam coelestem esse dicunt. Servius denique annotat ad Aen. VII, 761: „Revera autem Virbius est numen conjunctum Dianae, ut Matri Deum Atys, Minervae Erichthonius, Veneri Adonis."

Jam traditis collectis haec concludenda mihi videntur. De Virbii nomine ante Vergilium nullum vestigium indagare possumus. Post eum Ovidius et Hyginus nomen non cultum commemorant, ne Strabo quidem, qui Libro V pg. 239, de luco Dianae Ariciniae fusius agit, Virbii mentionem facit. Praeterea Virbii fabula mihi videtur recentioris originis suae vestigia prodere. Hippolyto, de quo legimus apud Euripiden vs. 14: „ἀναίνεται δὲ λέκτρα κ'οὐ ψαύει γάμων", in vitam revocato, in luco Dianae poëta uxorem tribuit Ariciam, semper urbis, nusquam Nymphae nomen, e quibus mox natus est Virbius noster. Deinde Virbium describit vs. 781: „Filius ardentes haud secius aequore campi Exercebat equos, curruque in bella ruebat", quae verba cum praecedentibus comparata: „Unde etiam templo Triviae lucisque sacratis Cornipedes arcentur equi, quod littore currum Et juvenem monstris pavidi effudere marinis", profecto non bene sonant. Filius ille equitandi

peritissimus, e patre natus a cujus luco pietatis causa equi omnes arcentur, nos repugnat, quod verbis: „haud secius" non tollitur.

E quibus mea sententia conjicere licet Virbios illos quoque, et patrem et filium ingenio Vergilii natos esse, quorum alter oblivione sit obrutus, pater vero, resurrectus ille Hippolytus, jam antiquitus cum Diana conjunctus, e rerum natura in ejus fanum Ariciae translatus, mox semideus factus sit, cui haec vel posterior aetas flaminem addere non omiserit. Quamquam libenter confiteor multa hic in tenebris jacere, ostendi tamen, ut spero, Virbii cultum ad recentiora tempora pertinere quam viri dicti indicaverint.

XVII.

Mensae consumtae.

Vergilius versibus praecedentibus verba quae legimus Lib. VII, 116: „Heus, etiam mensas consumimus, inquit Julus" quae jam multo antea indicaverat, descripsit. Lib. enim III, 255, Harpyia Celaeno Aeneam ejus sortis certiorem fecerat, quum cecinisset: „Sed non ante datam cingetis moenibus urbem, Quam vos dira fames nostraeque injuria caedis Ambesas subigat malis absumere mensas", et versu 394, Helenus sacerdos, Aeneae animum addens haec repetiverat: „Nec tu mensarum morsus horresce fu-

turos." Praedictis perfectis Aeneas exclamat, VII, 120: „Salve fatis mihi debita Tellus, Vosque, o fidi Trojae salvete Penates; Hic domus, haec patria est."

Quamquam pauca tantum hac de fabula ex antiquioribus temporibus ad nos pervenerunt, ejus argumentum tamen ante Vergilium exstitisse satis apparet. Lycophron, primus omnium commemorare mihi videtur quae ad hanc fabulam spectant, Alexandrae vs. 1250: „Ἔνθα τράπεζαν εἰδάτων πλήρη κιχών (Αἰνείας), τὴν ὕστερον βρωθεῖσαν ἐξ ὀπαόνων, μνήμην παλαιῶν λήψεται θεσπισμάτων." Sempronius Tuditanus narravit (cf. Krause pg. 180): „Inde ad Italiam oram .... pervectum cum patre Anchise, filioque et ceteris suorum, navibus egressum, in litore accubuisse, consumtoque quod fuerat cibi, crustam etiam de farreis mensis, quas sacratas secum habebat, comedisse." Scripsit Conon, Narr. 46: „Καὶ τὸ χρηστήριον, ὃ κατοικεῖν ἔπρεπε ὅποτ' ἂν αὐτὸς (Αἰνείας) ἅμα τοῖς σὺν αὐτῷ θύσας, μετὰ τῶν σιτίων καταφάγοι, καὶ τὰς τραπέζας". Servius Aen. III, 255 Varronem quoque fabulam tradidisse testatur, quum annotet: „Oraculum hoc (sc. verba Celaenus) a Dodonaeo Jove apud Epirum acceperunt". Dionysius nobis etiam alias ejusdem fabulae formas servavit, Libr. I, cp. 55: „ἔπειτα ἄριστον αἱρουμένοις αὐτοῖς ἐπὶ τοῦ δαπέδου, σέλινα μὲν πολλοῖς ὑπέστρωτο, καὶ ἦν ταῦτα ὥσπερ τράπεζα τῶν ἐδεσμάτων. Ὡς δέ φασί τινες, ἰτρία καρποῦ πεποιημένα πυρίνου, καθαρότητος ταῖς τροφαῖς ἕνεκα. ἐπεὶ δὲ αἱ παρατεθεῖσαι τροφαὶ κατανάλωντο, καὶ τῶν ὑπεστρωμένων αὐτοῖς σελίνων εἴτε ἰτρίων ἔφαγέ τις, καὶ αὖθις ἕτερος, τοῦτο τυγχάνει τις εἰπὼν εἴτε τῶν Αἰνείου παίδων, ὡς λόγος ἔχει, εἴτε τῶν ὁμοσκήνων. Ἀλλ' ἡμῖν γε ἤδη καὶ ἡ τράπεζα κατεδήδοται. ὡς δὲ τοῦτο ἤκουσαν, ἅπαντες ἀνεθορύβησαν, ὡς τὰ πρῶτα τοῦ μαντεύματος ἤδη σφίσι τέλος ἔχοι. ἦν γάρ τι θέσφατον αὐτοῖς,

ὡς μέν τινες λέγουσιν, ἐν Δωδώνῃ γένομενον· ὡς δ' ἕτεροι γράφουσιν, ἐν Ἐρυθραῖς σχεδίῳ τῆς Ἰδης, ἔνθα ᾤκει Σίβυλλα ἐπιχωρία νύμφη χρησμῳδὸς, ἣ αὐτοῖς ἔφρασε πλεῖν ἐπὶ δυσμῶν ἡλίου, ἕως ἂν εἰς τοῦτο τὸ χωρίον ἔλθωσιν, ἐν ᾧ κατεδοῦνται τὰς τραπέζας." Strabo denique scribit Libr. XIII, pg. 608: „ἔνθεν δ' εἰς τὴν Λατίνην ἐλθοντα (Αἰνείαν) μεῖναι κατά τι λόγιον τὸ κελεῦον μένειν ὅπου ἂν τὴν τράπεζαν καταφάγῃ· συμβῆναι δὲ τῆς Λατίνης περὶ τὸ Λαουίνιον τοῦτο, ἄρτου μεγάλου τεθέντος ἀντὶ τραπέζης κατὰ ἀπορίαν καὶ ἅμα ἀναλωθέντος τοῖς ἐπ' αὐτῷ κρέασιν."

Si his quae dixit Vergilius comparamus, facile patet eum fabulae argumentum servasse, cui tantum formam suo proposito idoneam dederit. Sunt, qui haec frigida dicant; sed si consideramus poetam fabulam illam indigenam invenisse, quam hanc ob causam ei non licebat praetermittere, expositionem simpliciorem elegantioremque quam qua usus est non facile reperiemus. Magna cum arte fabulam suo carmini inseruit. Oraculum, secundum alios vel a Jove Dodonaeo, vel a Sibylla Erythraea editum, Celaeno Harpyiae attribuit. Neque Jupiter, neque Sibylla tantam famem, tot mala Aeneae, carminis heroï, praedicere potuissent, hoc erat Harpyiae dirae, quam describit his verbis III, 214: „Tristius haud illis monstrum nec saevior ulla Pestis et ira deum Stygiis sese extulit undis." Sic ab horribilibus monstris fata, quae Aeneae terrorem injiciunt, sunt praedicta, et quum ad Epirum ille appulsus est, ubi invenit Helenum, Priami filium, sacerdotem vatemque, Jovis Dodonaei vicinum, ab eo mox formidine liberatus est. „Nolite famem tam perniciosam exspectare", sic poeta et Aeneam et lectores praemonet, et ad extremum rem tam horrendam a puero, Julo, simpliciter solutam inveni-

mus, qui adorea liba, pomis agrestibus subjecta, mensas vocat. Sic poeta nodum, sibi in inepta fabula oblatum, singulari arte expediisse mihi videtur praetereaque occasionem arripuit Julum oculis auribusque hominum denuo ostendendi.

Hanc opinionem fusius exposui ut facilius sit intellectu his adoreis libis, quas mensas Julus vocavit, cum Penatibus nihil quidquam commune fuisse, ut Schwegler, R. G. pg. 324, et Preller, Röm. Myth. II, pg. 324 contenderunt. Ad hanc sententiam viri docti annotationibus Servii ad Aen. III, 257: „ambesas undique esas, hoc est rotundas. Majores enim nostri has mensas habebant in honore deorum, panicias scilicet" et Donati ad l. d.: „mensas dicit, quae ex frumento confectae diis Penatibus consecrantur" mihi perducti videntur. Nullus enim locorum, qui ab iis citantur, neque Naevius B. P. fr. 6: „postquamde aves aspexit in templo Anchisa Sacra in mensa Penatium ordine ponuntur, Tum victimam immolabat auream pulchram", nec Liv. XXVI, 36, 6: „ut salinum patellamque deorum causa habere possint", nec Plinius XXXIII, 153: „Fabricius, qui bellicosos imperatores plusquam pateram et salinum habere ex argento vetabat", nec Val. Max. IV, 4, 3: „In Fabricii et Qu. Aemilii Papi aedibus argentum fuisse .... uterque enim patellam deorum et salinum habuit", nec Festus i. v. Mensae, pg. 157: „privati quoque in primis (salina et patellas apponunt) ubi sacras habituri (sint mensas in quibus) parentatio non sacrific(ium fieri possit)" et i. v. Salinum, pg. 329: „Salinum in mensa pro aquali solitum esse poni, ait (Verrius) cum patella quia nihil aliud sit sal quam aqua", et rursus pg. 544: „Salinum cum sale in mensa ponere figulis religioni habetur sqq." neque Arnobius II, 67: „in

penetralibus et culinis perpetuos fovetis focos, sacras facitis mensas salinorum appositu et simulacris deorum", nec Porphyrio denique ad Hor. Od. II, 16, 14: „Salinum patella in qua primitiae dis cum sale dantur, sed nunc pro vasculo domestico salis dixit", — nullus horum locorum, neque alii qui hanc rem tractant veluti Horat. Od. II, 16, 13, Pers. Sat. III, 25, Stat. Silv. I, 4, 131 nos docent haec adorea liba, vel mensas paniceas unquam sustentacula dapibus diis sacratis fuisse. (Schwegler: „Als Unterlage für diese Spenden an die Penaten gebrauchte man gewöhnlich trockene Brodkuchen oder Fladen, sie hieszen mensae paniceae". Preller: „Während in Wahrheit diese Brottische die natürlichen Symbole des Latinischen und Romischen Penatendienstes sind, in dem sie gewöhnlich als Unterlage der beim täglichem Male darzubringenden Speisen dienten (cf. Oben S. 158, 1).").

Quod denique Servius primus verba „mensa" et „panicea" conjunxit non possum non credere eum studio explicandi perductum verba citata scripsisse, quod studium causa fuisse mihi videtur, quae multos posteriores et scriptores et commentatores Vergilii, ut Gossravium et Forbigerum, in errorem induxit.

XVIII.

Sus cum triginta porculis.

Helenus, Aeneae itineris difficultates describens, jam de sue cum triginta porculis cecinerat, cf. Aen. III, 388. Eadem illa, nunc autem tamquam mox futura deus Tiberinus repetit, qui Aeneae in somno apparet, ubi hic ad Latii littora appulsus cum Latino foedere icto hostium multitudine angetur. Eum dicere audimus Aen. VIII, 41: „Jamque tibi, ne vana putes haec fingere somnum, Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus, Triginta capitum fetus enixa, jacebit, Alba, solo recubans, albi circum ubera nati. Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum", et adjicit: „Ex quo ter denis urbem redeuntibus annis Ascanius clari condet cognominis Albam. Haud incerta cano", et postquam primo mane Aeneas iter comparavit, sociosque instruxit, jam prodigium adest, cf. 81: „Ecce autem, subitum atque oculis mirabile monstrum, Candida per silvam cum fetu concolor albo Procubuit, viridique in litore conspicitur sus: Quam pius Aeneas tibi enim, tibi, maxima Juno Mactat, sacra ferens et cum grege sistit ad aram."

Sic Vergilius fabulam narrat, quam vel omnium saepissime ab antiquioribus scriptoribus commemoratam invenimus. Legimus enim in Lycophronis Alex. 1253: „*κτίσει δὲ χώραν ἐν τόποις* Βορειγόνων *Ὑπὲρ Λατίνους Δαυνίους τ' ὠκισμένην, Πύργους τριάκοντ', ἐξαριθμήσας γονὰς Συὸς κελαινῆς, ἣν ἀπ' Ἰδαίων λόφων Καὶ Δαρδανείων ἐκ τόπων ναυσθλώσεται, Ἰσηρίθμων θρέπτειραν ἐν τόκοις κάπρων. Ἧς καὶ πόλει δείκηλον ἀνθήσει μιᾷ*

Χαλκῷ τυπώσας καὶ τέκνων γλαγοτρόφων. Δείμας δὲ σηκὸν Μυνδίᾳ Παλλη/δι, Πατρῷ' ἀγάλματ' ἐγκατοικιεῖ θεῶν." Apud Q. Fabium Pictorem (cf. Krause pg. 62): „Περὶ δὲ τῆς προσηγορίας ταύτης Φάβιος, ὁ τὰς Ῥωμαίων πράξεις ἀναγράψας, ἄλλως μεμυθολόγηκε· Φησὶ γὰρ Αἰνείᾳ γενέσθαι λόγιον, τετράπουν αὐτῷ καθηγήσασθαι πρὸς κτίσιν πόλεως, μέλλοντος δ' αὐτοῦ θύειν, ὗν ἔγκυον, τῷ χρώματι λευκήν· ἐκΦύγεῖν δὲ ἐκ τῶν χειρῶν καὶ διωχθῆναι πρός τινα λόΦον, πρὸς ᾧ κομισθεῖσαν τεκεῖν λ' χοίρους. τὸν δὲ Αἰνείαν τό τε παράδοξον θαυμάσαντα, καὶ τὸ λόγιον ἀνανεούμενον, ἐπιχειρῆσαι μὲν οἰκῆται τὸν τόπον· ἰδόντα δὲ κατὰ τὸν ὕπνον ὄψιν ἐναργῶς διακωλύουσαν, καὶ συμβουλεύουσαν μετὰ λ' ἔτη κτίζειν, ὅσοσπερ ὁ τῶν τεχθέντων ἀριθμὸς ἦν, ἀποστῆναι δὴ τῆς προθέσεως." Narrat L. Cincius Alimentus (cf. Krause pg. 73): „Posthaec Ascanius completis in Lavinio triginta annis, recordatus novae urbis condendae tempus advenisse ex numero porcorum, quos pepererat sus alba, circumspectis diligenter finitimis regionibus, speculatus montem editum, qui nunc ab ea urbe, quae in eo condita est, Albanus nuncupatur, civitatem communit; eamque ex forma, quod ita in longum porrecta est, Longam, ex colore suis, Albam cognominavit." Apud Servium invenimus ad Aen. I, 273: „Cato ait triginta annis expletis eum Albam condidisse", apudque Diomeden I, pg. 379: „Hoc ita affirmat hoc modo Cassius Hemina in secundo Historiarum: Pastorum vulgus sine contentione consentiendo, praefecerunt aequaliter imperio Remum et Romulum, ita ut de regno pares inter se essent. Monstrum fit; sus parit porcos triginta; cujus rei fanum fecerunt Laribus Grundulibus." Varro scribit L.L. V, 144: „Hinc (i. e. Lavinio) post triginta annos oppidum alterum conditum, Alba; id ab sue alba nominatum. Haec e navi Aeneae quom fugisset Lavinium, triginta parit por-

cos; ex hoc prodigio post Lavinium conditum annis triginta haec urbs facta, propter colorem suis et loci naturam Alba Longa dicta" et in R.R. II, 4, 18: „In quo (portento) illud antiquissimum fuisse scribitur, quod sus Aeneae Lavinii XXX porcos pepererit albas. Itaque quod portenderit, factum XXX annis, ut Lavinienses condiderint oppidum Albam. Hujus suis ac porcorum etiam nunc vestigia apparent Lavinii; quod et simulacra eorum ahenea etiam nunc in publico posita, et corpus matris ab sacerdotibus, quod in salsura fuerit, demonstratur." Caesar et Lutatius denique scripserant (cf. Krause pg. 319): „recordatum Aeneam, quod aliquando ei responsum esset, urbi condendae quadrupedem futuram ducem. Tum simulacris deorum Penatium prosecutum, atque illum, ubi illa procubuit enixaque est porculos triginta, ibidem auspicatum, postquam Lavinium dixit." Poetae nimis difficile fuisset harum narrationum nullam sequi, attamen quam secutus sit statuere nobis quoque difficillimum est.

Suem et triginta porculos prodigium ab Aenea visum fuisse omnes consentiunt. Lycophron tamen suem nigram dicit, ejusdem albus color ceteris magis placet. Idem eam ab Aenea e collibus Idaeis advectam narrat, ut Varro quoque, ceterorum nullus eam ad fluminis ripam inventam nobis proponit nisi Vergilius.

Quaerentibus nobis quid scrofa monstret, omnes, praeter Fabium, qui eam ad Albam Longam confugisse sumit et Cassium Heminam, qui prodigium Romam transtulit, eam Lavinium ubi Trojani habitarent designasse, respondent.

Quaerentibus tamen quid triginta porcelli docere velint, mirum discrimen reperimus. Lycophron enim numerum

ad triginta arces, quae postea in agro Latino essent, posteriores autem omnes ad triginta annos, qui praeterirent, antequam e Lavinio Albam condere possent, referunt.

Praeterea Lycophron lectoris animum ad triginta porcellos advertit, ceteri scrofae quoque magnam vim attribuunt. Horum Fabius et Varro eam fugisse tradunt, ille quum in eo esset ut mactaretur, hic jam ex Aeneae nave. Cincius animum praecipue ad scrofae colorem attendit. Vergilius solus non de fuga mentionem facit, quamquam ut ceteri narrat locum, quo sus ingens sub litoreis ilicibus inventa sit, destinatum fore urbis condendae, ex quo post triginta annos Ascanius Albam Longam condet, quae urbs ergo Lavinium est. Poeta denique tradit Aeneam suem cum porculis Junoni sacrasse. At Dionysius I, 57 scribit: „*Αἰνείας δὲ τῆς μὲν ὑὸς τὸν τόκον ἅμα τῇ γεναμένῃ τοῖς πατρῴοις ἀγίζει θεοῖς ἐν τῷ χωρίῳ τῷδε, οὗ νῦν ἐστιν ἡ καλιά.*"

Fabulam domesticam igitur non mutavit, sed quod prodigii vim augere ei placeret, suem inventam, non advectam nobis depinxit et magna cum negligentia situm urbis condendae tractavit. Lavinium enim a Tiberi flumine longe abest, situmque praeterea in aridissima regione, ut testantur Fabius Maximus (cf. Serv. Aen. I, 3) et Dion. I, 56. Quod attinet ad suem cum fetu Junoni mactatam, quis hoc figmentum improbat? Aeneam Deae ab initio sibi infestae id quod, ut signum salutis, sibi carissimum esset mactantem, poeta ejus pietatis memor depinxit.

Suntne autem hae fabulae et de tabulis consumptis et de scrofa cum triginta porcellis ab origine domesticae? Vix credo. Quamquam sunt viri docti qui totum hoc carmen Lycophroni abrogent aliique hos ad Italiam spectantes locos ut spurios rejiciant, utraque tamen Alexandrae fabula remotioris antiquitatis vestigia magna cum evidentia nobis praebent.

Etsi lubrica res mihi videtur historiam scribere secundum leges in nonullis rebus repertas et deinde harum legum vinculis omnia constringere, quivis tamen concedet formam fabulae maxime rebus adaptatam novissimam habendam esse. Hanc ob causam ἡ κελαινὴ σῦς antiquior quam alba est. Nam Lycophron si in fabula suem albam tanquam Albae Longae indicium invenisset, ne illam in nigram mutaret cavisset. Ad hanc mutationem posteriores pervenerunt studio ducti ut Albae Longae nomen originemque explicarent. De triginta porcellorum significatione idem valet.

Si Lycophron hunc numerum ad annos spectare cognovisset, nulla causa fabulam mutandi ei fuisset. Naevius ipse, qui Aeneam avum Romuli conditoris urbis dixit, id quod Ennius quoque fecit, temporum ordinem non curavit. Quum autem posteriores triginta arces in Latio non reperire possent intelligerentque temporis spatium a Troja deleta usque ad Romam conditam quodammodo explendum esse, porcellorum numerum ad annos retulerunt. Fabiorum ille, qui narravit Aeneam, jam locum munientem, somnio admonitum ut numerum triginta non ad arces sed ad annos referret, hujus significationis mutatae notas prodere mihi videtur. Constat igitur fabulas se magis magisque Romanorum narrationibus accommodasse. Sed plura sunt.

Si rogamus unde Lycophron vaticinationem Alexandrae depromserit, non credo ejus fontem ostendi non posse. Non longe ab Alexandria urbs Naucratis sita erat. Athenaeus, Naucrati natus, de Naucratitum caeremoniis in honorem Apollinis, Dionysii, Vestaeque prytanitidis, ab Hermeia traditis nos certiores facit narratque cf. I IV, pg. 149 e: *ἔπειτα ἑκάστῳ παρατίθεται ἄρτος καθαρὸς εἰς πλάτος πεποιημένος, ἐφ' ᾧ ἐπικεῖται ἄρτος ἕτερος, ὃν κριβανίτην καλοῦσι, καὶ κρέας ὕειον καὶ λεκάριον κ. τ. λ.*" Quum praeterea apud Herodotum, II, 178 legamus, Amasin Graecis potestatem dedisse Naucrati habitandi, eorumque Diis aras erexisse lucosque sacrasse, inter quos Graecos Jones, Dores, ex Aeoliis solos Mytilenenses fuisse, profecto non miramur Lycophronem Trojanis migrantibus Vestae ceremonias attribuisse, et ab iis et scrofam et tabulas ciborum plenas consumptas depromsisse. Trojani enim Aeolii quoque fuerant.

Sic scrofa Vestae sacra eum perduxit eo ut illam tamquam participem migrationis et edentem rerum futurarum signa fingeret, sic libum planum altero libo tectum, cui cum aliis cibis caro suilla imposita erat, quae omnia in prytanaeo erant consumenda, nimis facile ad narrationem de tabula ciborum plena adducit quam ut vel hanc vel aliam ejusmodi caeremoniam Lycophronis animo obversatam esse negare liceat.

Si breviter omnibusque ornamentis remotis explanamus quae Alexandra consanguineo suo vaticinata est, legimus: „Ubi Vestae tuae cultus repereris ibi tua patria erit", et nihil novi addit nisi has triginta arces.

Haec, ut omnia talia, initiatis simplicia, prout vel eorum origo oblita vel prisca forma ornamentis additamentisque obruta erat, speciem prodigiorum prae se ferent. Hoc am-

babus fabulis mihi accidisse videtur. Sus nigra, ut Albae Longae originem indicaret in albam conversa, animum ab animali in colorem devertit. Tabulae ciborum plenae consumptae tantopere posteriores lectores tenebant ut Sempronium Tuditanum et Dionysium (cf. I, 55), quibus illud commentum fortasse nimis audax videbatur, illum de crustis panis, hunc de apii foliis, cibis subjectis, loqui audiamus. Ita omnes fere, etiam hujus aevi commentatores, Servium sequentes, vel adorea liba vel mensas paniceas fingendo illas tabulas probabiles reddere conati sunt.

E quibus, si sunt vera, sequitur Alexandriam patriam fabulae fuisse, etsi ipsi Vergilio jam domestica visa sit.

THESES.

THESES.

I.

In praestanti Prelleri opere „Römische Mythologie" ab Jordano tertium edito temporum ordo nimis saepe neglectus est.

II.

Hegesippus, qui dicitur scripsisse librum de bello Judaïco, injuria Flavii Josephi interpres vocatur.

III.

Vergil. Aen. Lib. II, 335:

. . . . . vix primi proelia tentant
Portarum vigiles, et caeco Marte resistunt.

Verba „Caeco Marte" non cum Forbigero accipienda sunt de nocturno proelio, sed cum Gosravio de certamine, „quod profuturum nec sciunt neque curant."

IV.

Horatius Sat. I, 7, vs. 26:

. . . . . Ruebat
Flumen ut hibernum, fertur quo rara securis.

Legendum est: fert quod ramalia secum.

V.

Nepos. Cimon. III. 4. (Ed. Cobet):
in morbum implicitus (Cimon) in oppido Citio mortuus est –
Pro „oppido" legendum est: oppugnando.

VI.

Sallustius. De conj. Catil. 19, 5:
nunquam Hispanos praeterea tale facinus fecisse,
sed imperia saeva multa antea perpessos.
Verbum „sed" expungendum est.

VII.

Suetonius, Div. August. 40:

Etiam habitum vestitumque pristinum reducere studuit, ac visa quondam pro contione pullatorum turba, indignabundus et clamitans: „En Romanos, rerum dominos, gentemque togatam!" negotium aedilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro circove nisi positis lacernis togatum consistere.

Pro „pullatorum" restituendum est: palliatorum.

Tacitus, Annales, I, 3:

Necdum positi puerili praetexta principes juventutis appellari .... cupiverat.

Verbum „puerili" expungendum est.

IX.

Tacitus, Annales, I, 24:

Druso propinquanti quasi per officium obviae fuere legiones, non laetae, ut adsolet, neque insignibus fulgentes, sed inluvie deformi et vultu, quamquam maestitiam imitarentur, contumaciae propiores.

Pro „deformi" legendum est: deformes.

X.

Plinius, Epist. IV, 21, 3:

Nam patrem illarum defunctum quoque perseverantissime diligo, ut actione mea librisque testatum est; cui nunc unus ex tribus liberis superest, cett..

„defunctum" corrige legendo: defunctarum.

XI.

Symmachus, Epist. I, 43. (Ed. Pareus, Lectius, O. Seeck):

Nunquam in mercedem linguae ornamenta corrupit.

Pro „mercedem" legendum est: mercem.

XII.

Id. Epist. I, 56:

Alia est enim protestatio amoris, alia linguae ostentatio.

Corrigendum est: praestatio amoris.

XIII.

Id. Epist. I, 79:

Super ejus annonis dicitur orta dubitatio.

Legendum est: annuis.

XIV.

Id. Epist. II, 3:

Fors fuat, an possit biduo tenus ejusdem nos praedii annona retinere.

Legendum est: an possint .... amoena retinere.

XV.

Sophocles. Oed. Tyrr. vs. 623:

OI. ἥκιστα· θνήσκειν, οὐ φυγεῖν σε βούλομαι.

Collato vs. 640 legendum censeo: μάλιστα· θνήσκειν ἢ φυγεῖν σε βούλομαι.

XVI.

Ibid. vs. 1250:

ἐξ ἀνδρὸς ἄνδρα καὶ τέκν' ἐκ τέκνων τέκοι.

Pro τέκνων legendum est: τέκνου.

XVII.

Sophocles. Elect. vs. 73:

εἴρηκα μέν νυν ταῦτα· σοὶ δ' ἤδη, γέρον,

Verbum ταῦτα mutandum est in πάντα.

XVIII.

Thucydides. II, 36, 3. (Ed. v. Herwerden):

τὰ δὲ πλείω αὐτῆς (ἀρχῆς) αὐτοὶ ἡμεῖς οἵδε οἱ νῦν ἔτι ὄντες μάλιστα ἐν τῇ καθεστηκυίᾳ ἡλικίᾳ ἐπηυξήσαμεν, cett.

Verba *οἱ νῦν ἔτι ὄντες* expungenda sunt.

XIX.

Id. V, 23, 1:

Ἐὰν δέ τινες ἴωσιν ἐς τὴν γῆν πολέμιοι τὴν Λακεδαιμονίων καὶ κακῶς ποιῶσι Λακεδαιμονίους, ὠφελεῖν Ἀθηναίους Λακεδαιμονίους τρόπῳ ὁποίῳ ἂν δύνωνται ἰσχυροτάτῳ κατὰ τὸ δυνατόν.

Verba ultima *κατὰ τὸ δυνατόν* delenda sunt.

XX.

Lucianus. *Συμπόσιον*, 33. (Ed. Teubner):

ἀπέλαυσε δὲ καὶ ὁ Ἴων τῆς γειτονησέως, οὐκ ἀνάξιος ὤν.

Pro *ἀνάξιος* restituendum est *ἄξιος*.

XXI.

Id. *Περὶ τῆς Συρίης θεοῦ*, 12:

ἥδε ἡ γενεὴ οἱ νῦν ἄνθρωποι οὐ πρῶτοι ἐγένοντο, ἀλλ' ἐκείνη μὲν ἡ γενεὴ πάντες ὤλοντο.

Tollendum est emblema: *οἱ νῦν ἄνθρωποι*.

XXII.

Id. *Πλοῖον ἢ εὐχαι*, 1:

εἶτ' ἐγὼ μετ' ἐκεῖνον ἐχόμενος αὐτοῦ ἀμφοτέραις,

Verba *μετ' ἐκεῖνον* supervacanea sunt.

XXIII.

Id. ibid. 2:

στωμύλοι τὸ φθέγμα.

Delenda sunt verba: *τὸ φθέγμα.*

XXIV.

Id. ibid. 9:

Νὴ Διὰ, θαυμάσιόν τινα φὴς κυβερνήτην τὸν Ἥρωνα ἢ τοῦ Νηρέως ἡλικιώτην, ὃς τοσοῦτον ἀπεσφάλη τῆς ὁδοῦ.

Pro *ἢ* legendum est *καὶ.*

XXV.

Philosophiae Graecorum Romanorumque studium inter studia classicas literas exercentium jure receptum est, ita tamen ut cum universae philosophiae studio conjunctum sit.

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

DEC 5 '66 H

126[illegible]32

CANCELLED

Lv 19.244
Quaestiones de Fabulis a Vergilio i
Widener Library 005580797
3 2044 085 244 861